

men intentione decipiendi, & in iis circumstantiis in quibus Audienti facile est dijudicare, quem sensum in animo habeat ille, qui loquitur, quemque re vera velit intelligi: formalis vero æquivocatio est, eaque vitiosa, dum verbo quis utitur duplicem sensum habente destinato animo decipiendi; ac dum de facili non potest, quicumque audit, verum loquentis sensum reterege. Prioris duntaxat generis æquivocatio Christi fuit, dum ait, nescire se Judicii diem: quia tamen hæc ipsius Propositio duplicem sensum posset induere, (aut quod nesciret absolute, aut quod nesciret ut Homo.) nullum tamen Christus habebat fallendi animum; facileque Discipuli germanum illius sensum reterege poterant; nempe, nescire illum, ut Hominem, scire tamen, ut Deum; dum videlicet addidit Ille, Patrem diem illum scire. Cum enim una eademque sit Natura Patris, & Filii; adeoque & idem Intellectus utriusque, eadem quoque utriusque Scientia esse debet: quapropter id omne Filius novit, ut Deus, quod novit Pater, qui unus idemque cum illo Deus est.

Hæc dicta volui, Viri Theologi, ne stocci facere videar communiorum, que in Scholis obtinet, Objectionis hujusce Solutionem. Cæterum cum mihi magis ardeat aliorum Theologorum Opinio, qui Christum etiam, ut Homo erat, extremi Judicii diem novisse contendunt, quia nedum, ut Deus, verum etiam ut Homo, constitutus est a Deo Judex virorum, & mortuorum, ut ait D. Petrus, *Act. cap. 10. vers. 42.* congruum autem omnino sit, Judicem scire diem Judicii sui, ideo aliter, & forte melius respondi a se, dum Judæorum & Arianorum Momenta contra Christi Divinitatem resellebam (in *Tract. de Incarnat. Disp. 1. Prælect. IX.*) videlicet nulla ibidem æquivocatio, seu amphibologia, sive, ut ajunt, restrictione mentali, & multo minus mendacio, aperto usum fuisse Christum; propterea quod Patris Legatum agebat; adeoque Legatorum more respondit Apostolis, *se diem illam nescire*; nimirum ad revelandum illis; non quod reapse Ipse nesciret, etiam ut Homo. Nec se ab eo deceptos Apostoli conquæsi julte poterant, cum probe scirent, verbum *nescio* in ore Christi, quem omniscium, utpote Deum Hominem, certo certius credebant, idem prorsus sonare, ac *revelare nolo*; alias si deceptioni locus subesse aliquis potuisset, dicendum foret, Apostolos Christi Divinitatem neutquam agnovisse; quod impium esset asserere. Quamobrem ex illo Christi Responso nedum Mendacium, sed neque æquivocationem ullam vitiosam, amphibologiam, vel restrictionem, sive Apostolos fallendi periculum, erueri possumus; cum ex communi usu loquendi, attento munere & characterè Personæ, qua loquebatur, optime nosse Illi potuerint Responso a Christo dati sensum, atque significationem; nempe, illum nescire, ut eis revelaret.

Pari facilitate dilucidatur altera Christi Responso, & ab æquivocationis vitio liberatur, Joannis *Cap. 7. vers. 8.* dum rogantibus Fratribus suis, seu Cognatis, ut ad diem festum ascenderet, respondit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum*: qui tamen postmodum ascendit, non manifeste, sed quasi in occulto, ut habetur: *versiculo 10.* Nulla hic profecto æquivocatio fuit formalis, & vitiosa. Quia Fratres ejus, seu Cognati ex adjunctis circumstantiis facile dignoscere poterant, quo sensu negasset Christus, se ad diem festum ascensurum: nimirum palam, atque in aperto; quod nempe hoc ipsum rogabant Illi, ut aperte palamque ascenderet: *Dixerunt autem ad eum Fratres ejus:*

*transi hinc, & vade in Judæam, ut & Discipuli tui videant opera tua, que facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: Si hæc facis, manifesta te ipsum Mundo. Quare dum respondit illis, Vos ascendite, ego autem non ascendo, nemo ita erat hebes, quin de facili intelligeret, non ascensurum illum aperte, ac publice, quo pacto scilicet, ut vellet ascendere, rogabatur ab illis.*

Haud multo meliori titulo, tanquam mendacii, aut æquivocationis Exemplum a nonnullis obtruditur Christi Domini dictum de Lazaro, quem mortuum probe noverat: *Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut a somno excitum eum*; *Joannis cap. 11.* quo verbo decepti Discipuli Lazarum adhuc vivum exilimarunt: unde & dixerunt: *Domino, si dormit, saluus erit.* Neque enim Mendacium illud est; cum juxta Scripturæ phrasim Jultorum, & Christi Amicorum mors dormitio vocetur, & somnus. Imo nec æquivocum verbum fuit, formali (ut Schola loquitur) æquivocatione, etiam si verum sensum ferre possit: Quia non ea mente a Christo prolatum est, ut Apostoli deciperentur, quod formalium æquivocationum est proprium; sed ut docerentur, Jultorum transitum somnum esse, non mortem; tanquam Christo Domino facile esse mortuum et tumulo, quam dormientem et somno excitare: quod ipsemet Evangelista dilucidissime statim declarat, inquit: *Dixerat autem Jesus de morte ejus: Illi autem putaverunt, quia de dormitione Somni dixerat.* Unde falsa Apostolorum existimatio ex parte illorum fuit; qui Christi Domini dictum in alio prorsus, quam ab Ipso prolatum fuerit, sensu acceperunt; non autem ex parte Christi.

Stultius multo, & imprudentius in Christianam Religionem argumentabatur olim Julianus Apostata; qui, ut Christum inepte, ac falso locutum ostenderet, usurpatis interdum ab eo Hyperboles cavillabatur, ac deridebat; atque illam maxime, qua Salutis obtinendæ difficultatem exaggerans in divitiis, dicere solitus erat: *Facilius est, Camelum per foramen acus transire, quam Divitem intrare in Regnum Cælorum*: *Matthæi cap. 19.* Ecurr, quæso, Hyperbole locutio falsa, aut etiam vitiosa dicitur, quam Christus citra fallaciam usurpare nequiverit? Nec enim, qui iis utatur, id volunt, ut sermo ad amissum, stridamque significationem accipiatur; sed moderato duntaxat sensu; quantum ad rei magnitudinem significandam sit satis. Exemplum hujus habemus *Lib. Numerorum cap. 12.* ubi Exploratores Terræ promissa Moysi nunciarunt, vidisse se illic filios *Enac de Stirpe Gigantea*; quibus comparati, quasi locusta ipsi videbantur. Ita ne pressa, ac stricta significatione id verum est? Minime vero. Imo *Deuteronomii cap. 3.* legimus, ex eo Gigantum Genere fuisse Ogum Regem Basan, cujus Lætus ferreus ad illius proceritatis memoriam servabatur *in Rabbath, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Equidem vappa corporis mole fuisse Gigantem illum oportet, cui novem cubitorum in longum lætus erat. At, si cuncta recte metiri velimus, & ad Mathematicam mensuram exigere, nemo nostrum opinor erit, qui cum illo Gigante colatus, tanquam Locusta videatur. Res ergo per hyperbolem dictæ, ita sunt accipiendæ, ut tamen ad justam, prudentemque mensuram exigantur, ne falsæ omnino locutiones hyperbolice judicentur. Sic itaque Christus nullo errore, fallacia nulla dixit: *Facilius est, Camelum per foramen acus transire, quam Divitem intrare in Regnum Cælorum*; ut videlicet Regni Cælorum obtinen-

nendi difficultatem maximam in Divitiis agnoscamus.

Addam tamen, nec addidisse pigebit, ingeniosam Doctoris Angelici observationem: Christum in ea ferenda Sententia, *facilius est, Camelum* &c. hyperbole non esse usum, sed plaa, simpliciter loquendi formula, ad rem alludendo, tunc temporis lippis, & tonforibus notam. Scribit scilicet Ille in *Commentario ad Caput 19. Matthæi*, legisse se in quadam Glossa, cujus Auctor ignoratur, ex duodecim Portis Hierosolymæ fuisse unam omnium minimam constructam ad formam foraminis acus; quæ idcirco foramen acus vulgari appellatione dicebatur: per quam utique Portam, utpote angustiorum, Cameli onusti, nisi deposita farcina, in Urbem induci non poterant. In quod Christus intendens dixit: *facilius est, Camelum per foramen acus transire, quam Divitem intrare in Regnum Cælorum*: hoc est; *facilius est, Camelum exonerari, ut per Portam illam ingredi possit, quam Divitem Divitiarum affectum deponere, ut possit in Regnum Cælorum admitti.* Certe si ita sit, ut in Glossa, seu Codice illo notatum est, nullus in Christi Domini dicto excessus, Hyperbole nulla notari potest. Verum an ita sit, penes illius Glossæ Auctorem Fides esto.

Illud itaque ultima colligendum, Deum nec in assumpta Natura, nec per Internuncium, nec se ipso mentiri ullo modo posse, aut æquivocis, & amphibologis Homines eludere: atque ita Fidei nostræ, quæ Dei verbo tota nititur, falsum per se subesse non posse: hoc est, ex parte Dei ipsius Veritates Fidei revelantis. Reliquum illud est, ut videamus, possit ne Fidei falsum subesse ex accidenti; ex parte scilicet credentis Hominis: quod erit proximæ Exercitationis Argumentum.

## PRÆLECTIO IV.

*Fidei Divina subesse falsum non posse, neque ex accidenti, seu ex parte credentis Hominis, asseritur, propugnatur: nec non insulsa Joannæ Papissæ Fabella rejicitur, resutatur.*

Questionem agendam aggredior hostis, quam si velim nuda speculatione perpendere, brevi profecto, ac etiam nullo negotio vobis expediam: si autem ad praxim velim exigere, ac de illa ex ipsis Factis judicare, vercor, ne ita de facili dirimi possit, ac bono in lumine collocari. Illud a nobis queritur: possit ne Fidei subesse falsum ex accidenti, nimirum ex parte credentis? seu, ut explicatius dicam, fieri ne possit, ut quis ex Fidei Habitu credat aliquid falsum: Habitu scilicet Fidei ad falsum assensum eliciendum inclinante, ac propellente?

Certe si nude speculati velimus, nullo id pacto fieri posse, obvia cuique ratio plane demonstrat. Fide enim Divina credi nihil potest, nisi sit a Deo revelatum: falsum autem a Deo revelari, ut superius ostendimus, repugnat omnino: seu, ut pro more Scholæ argumentatur Doctor Angelicus 2. 2. *quest. 1. art. 3.* *Dicendum quod nihil subest alicui Potentiæ, vel Habitu, aut etiam Actui, nisi immediate ratione formati Objecti, sicut color videri non potest, nisi per lucem: & Conclusio scribi non potest, nisi per Medium demonstrativum.* Serry Tom. IV.

(a) Postea Benedictus XIV. Pontifex Maximus, Vocabatur primum Prosper Lambertinus, natus Bononiæ ex nobilissimi Lambertinorum Familia, una ex quadraginta, quæ Bononiensem Senatam constituunt. Cardinalia Purpura a Benedicto XIII. P. M. ex Prædicatorem Ordine assumpto decoratus fuit 29. Aprilis 1728, cum pridem longo temporis intervallo Romæ moratus plura ibidem, & difficillima munia obisset. Tum Anconitanus Episcopus re-nunciatus, & inde, aliquot menses plura ibidem, ad Bononiensem Archiepiscopatum translatus, utrobique vigilantissimi Pastoris Minus strenue adimplevit. Clemente XII. a vivis erepto, communibus Cardinalium litteris ad supremum totius Ecclesiæ Pontificatum electus est die 17. Augusti anni 1740. Quo ex tempore summam quem

nis, *Dictum est autem* (art. 1. hujus questionis) *quod ratio formalis Objecti Fidei est Veritas prima: unde nihil potest cadere sub Fide, nisi in quantum fiat sub Veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest: sicut nec non ens sub ente, nec malum sub bonitate. Unde relinquatur, quod Fidei non potest subesse aliquid falsum.*

Verum, si ex Factis ipsis, quæ in Ecclesia contingere possunt, de tota hac velim Controversia pronuntiare, quot, Deus bone! videntur Casus occurrere, in quibus Fide Divina falsum aliquid credi potest, vel credi videtur, Habitu Fidei ad falsum credendum inclinante, ac propellente? Quare ut meam ea de re Sententiam bono in lumine ponam, ac probe defendam, nunquam scilicet Fidei Divinæ subesse falsum, etiam ex accidenti, & ex parte credentis Hominis, in id unum incumbam, ut Casus illos, qui deduci possent, expediam, atquediscutiam, in quibus falsum aliquid Divina Fide videtur ab Hominebus credi; planumque faciam, nihil unquam hujusmodi contingere posse; sed quæ tum Fide Divina putantur credi, alio plane teneri Habitu, a Fide Divina longe diverso.

Primus itaque Casus occurrere potest in adoratione Hostiæ Sacrosanctæ, quæ proponitur Fidelibus adoranda. Ad Fidem siquidem attinet, ut credamus, in Sacramento altaris seu in Hostia consecrata, verum Christi Domini Corpus, verum Sanguinem contineri. Contingere porro aliquando potest, ut non ibi fuit Christi Corpus, & Sanguis, sed Panis duntaxat, dum nimirum aut defectu Characteris in Consecrante, si fictus nempe Sacerdos sit; aut defectu debite Intentionis, si inique se gerat in Consecrationis actu; aut etiam defectu necessariæ Materie, sive Formæ, puta si panis non sit triticus, vel corruptus, aut si Verba non proferantur, vel immutentur, tunc non est Hostia rite, & valide consecrata. Hoc itaque in Casu Adorantium Fides ad falsum credendum, imo & ad Idololatriæ actum perficiendum videtur ex accidenti perducere.

Idem in Cultu Sanctorum, Sacrarumque Reliquiarum quandoque accidere potest. Ad Fidem enim pertinet, ut credamus, Sanctos cum Christo in Cælis regnantes, Illorumque Reliquias religioso Cultu esse colendas. At potest in iis quandoque error irrepere; dum scilicet uti Sanctus colendus proponitur ab Ecclesia, qui talis re ipsa non sit; aut suppositæ, fictæque Eorum Reliquiæ religiose coluntur, Igitur & tunc ad aliquid falsum credendum, colendumque Divina Fides inducit.

Et sane, quod attinet ac Sanctorum adorationem, tamen ulto daremus (quæ mea utique Sententia est) Ecclesiam errare non posse in ea, quæ modo fit, Divorum Apotheosi decernenda, seu ut vulgo dicitur, in *Canonizatione Sanctorum*, qualis hinc temporibus solemnier agitur ab anno 993. sub Joanne XV. Romano Pontifice, qui omnium primus initium dedit solemniibus hujusmodi Canonizationibus, dum S. Udalricum Augustanum Episcopum in Divorum album retulit solemni Ritu (salluntur enim, qui Ritu hunc ab Leone III. anno circiter octingentesimo originem traxisse autumant, ut luculenter ostendit Cardinalis Lambertinus, (a) Vir nulli plane Eruditione secundus in



Opere suo recens edito de *Serv. Dei Beatif.*, & *Beat. Canoniz.* Lib. 1. cap. 7. num. 13., & cap. 8. nu. 2.) tametsi, inquam, hac in re Ecclesiam errare modo non posse, pro certo habemus, non ita tamen compertum est, eam pluribus retro Saeculis in Sanctis Fidelium Cultui proponendis errare non potuisse, dum ea Propositio nulla, vel saltem levi admodum disquisitione, sola Populi acclamatione, simpliciter fieret per adscriptionem illorum in Martyrologiis. Uti enim res ista magni Momenti est, nec Divina Revelatione nitatur specialiter facta, ita criterium postulat exquisitissimum, ut modo fit; nec Populi tantum voce, quae fallere plerumque deprehenditur, inniti debet, imo non desuere, eruditi etiam, & Catholici Viri, qui aliqua protulere hujusmodi Exempla, quibus ostendere contendebant, plures processu temporis, re diligentius discussa, e Martyrologiis fuisse expunctos, alios quoque merito etiam nunquam expungendos, quod vel reapse nullam Sanctitatis praeminentiam in his fas sit reperiri, vel talis nominis Viri, uti in Martyrologiis leguntur, nunquam in vivis extiterint: quod tamen an veritatem redeat, non est meum impraesentiarum expendere, cum non Criticæ modo, sed Theologicae Tractationi pro Munere incumbam.

Quod autem attinet ad Reliquias, non abimiliter fuere, qui observarent, talem in Reliquiarum Sacram Cultu a primis iam Ecclesiae Saeculis absum invaluisse, ut Conciliorum quamplurium Auctoritate, & Decretis coerceri, atque rescindi necesse fuerit, Carthaginensis, Sennonensis, Mediolanensis, Aquisgranensis. Certe non semel accidit, duo ejusdem Sancti Corpora diversis in Locis publicæ venerationi proponi, quorum profecto unum falsum esse, atque supposititium necesse est. Non longe a nobis Exemplum proferri potest. Nam Corpus SS. Prophetae Simeonis, qui in ulnis suis parvulum Jesum gestare meruit, Venetiis perinde, ac Jaderæ in Liburnia colitur: utrobique Illi dicatum Templum: utrobique arca visitur, qua clauditur: utrobique inspicendum, & adorandum integrum exhibetur: quorum alterutrum necessario fictum debemus asserere, ni duplici illum corpore constantem esse utrumque velimus: & tamen utramque tanquam verum Prophetae Sanctissimi Corpus ab Ecclesia proponitur adorandum, vel saltem permittitur. Alia hujusmodi duplicata Sanctorum Corpora, Capita, membraque cætera non est cur hic recensere pergam. Nota satis Itinerantibus, & Eruditis res est. Quid ergo? Nonne hæc omnia quam luculenter evincunt, Fidei Divinae posse aliquando subesse falsum? Fidei, inquam, qua credimus, Sacras Reliquias, Sanctos cum Christo regnantes, & multo magis Christi Domini Corpus, & Sanguinem sub Eucharisticis Speciebus esse a nobis colendum; dum tamen Christi Corpus, nec Sanctum illum, nec talis Sancti Reliquias veneramus.

Non est tamen ita, Viri Theologi, non est ita, ut perperam a nonnullis existimatur. Nullo ex his Casibus, etsi aliquando contingerent, vel etiam forte contigerint, fallitur Fides, ut falsum quid credere Fidelibus persuadeat; sed Prudentia duntaxat humana fallitur. Ita de Hostiæ Consecratione diserte docet Angelicus 2. 2. *quest.* 1. *art.* 3. *ad 4.* inquis: *Dicendum, quod Fides Credentis*

quam sibi antea comparaverat, existimationem nondum servavit, sed auxit plurimum, augetque in dies. Doctrina, Eruditione, Sacrorumque Canonum Scientia præclarus, ut Eius Opera publici juris facta satis superque demonstrant, Sacrarum Litterarum Studium cum arduo Universalis Ecclesiae regimine ita copulare novit, ut neutrum alteri noceat. Vir sane Ingenii apprime perspicacis, rectique Judicii. Sanioris Doctrinae, quæ præsertim ad Christianorum Mores, & Disciplinam attinet, tenacissimus, absumque Extirpator accerrimus Constitutionem super edidit, qua Christianæ Fidei Simplicitati, ac Puritati adversus indoctos jampridem, ac toleratos in Indiarum partibus detestabiles abusus ardentissimo studio, summaque Providentia prospicere satagit.

non refertur ad has Species panis, vel illas, sed ad hoc, quod verum Corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quando recte fuerit consecratum. Unde si non sit recte consecratum, Fidei non suberit, propter hoc, falsum; sed humanae Prudentiæ, quæ putat, consecratum esse, quod reipsa non est.

Neque obest, si dixeris, Hominem Hostiam adorantem Fide Divina credere, Christi Corpus in ea certissime contineri. Non enim id credit Fidei actu pure & simpliciter absoluto, sed actu tacite conditionato; si nimirum sit valide consecratum.

Idem de Cultu Sanctorum, Sacrarumque Reliquiarum, certa quadam proportione, dicendum: videlicet non esse Fidei actum, quo coluntur, & ista, pure & simpliciter absolute, sed tacite, & implicite, ut Schola loquitur, conditionatum. Quare, si forte contingat, non esse illum vere Sanctum, qui colitur uti talis, aut non esse veras Sanctorum Reliquias, quæ ut tales adorantur, tunc non Fides Divina, sed humana Prudentia fallit, & fallitur.

Causa alter, in quo falsum Fidei subesse, seu falsum Fide Divina credi existimatur, occurrit, aut certe videtur occurrere in Romani Pontificis Electione, & in Celebratione Concilii Œcumenici. Et quidem facta semel Prioris Electione; eaque vulgata, Fide Divina tenetur credere, hunc singularem Hominem vere & rite fuisse electum, atque ita esse Summum Pontificem, & D. Petri Successorem. Potest tamen huic Fidei adui, quo ita credimus, subesse falsum; cum non sit Fide certum, hujusmodi Electum fuisse Electionis capacem. Quid enim, si Fœmina esset, non Vir? Quid, si baptizatus non esset? Aut si forte invalide baptizatus fuisset? Defectu videlicet Intentionis Ministri, aut debita Materie, vel Formæ? Quo quidem casu ex Subjecti incapacitate Electio nulla foret, quantumvis ab Ecclesia, quæ de his infallibilem notitiam non habet, acceptaretur. Quod reipsa aliquando contigisse maleferat quidam Nebulones tam inepte, quam impudenter effutierunt, dum Joannæ Papiæ Fabellam omnium infullissimam tenuerunt; de qua mox differemus.

Non abimiliter tenetur Fide Divina credere, Concilium Œcumenicum ab Ecclesia communiter acceptatum, & a Summo Pontifice approbatum, E. G. Concilium Nicænum I. fuisse Legitimum, verum Ecclesiae Concilium. Potest tamen actui Fidei, quo id credimus, falsum subesse; nimirum Œcumenicum, ac Legitimum non fuisse, quod Fide credimus Legitimum, & Œcumenicum. Quid enim, si Episcopi, quibus constatur est Concilium illud, veri non fuerint Episcopi, aut defectu validi Eorum Baptismatis, aut defectu Legitima, & valide Ordinationis? de quibus profecto nec ipsa quidem Ecclesia Fide Divina certa esse potest, cum nulla hic Divina Revelatio, vel Apostolica Traditio intercedat.

Miror, tam multos iis Exemplis esse delusos, ut inde colligerent, posse Fidei nostræ subesse falsum ex accidenti, seu posse nos Fide Divina credere aliquid falsum. Quamcumque enim Theologorum opinionem sequamur, de Romanorum Pontificis Electione, deque Celebratione Conciliorum, salva omnino res est; nulloque unquam casu contigit, ut Fidei nostræ subit aliquid falsum.

sum. Sunt enimvero permulti Theologi, qui id omnino negent; Fide scilicet Divina tenendum, hunc singularem Hominem esse Romanum Pontificem. Negant id apertissime Cardinalis de Turrecremata Lib. 4. *Summa part.* 2. *cap.* 9. Cardinalis Cajetanus in 2. 2. *D. Thome quest.* 1. *art.* 3. *ad 4.* Melchior Cano (quod attinet ad Concilium) Lib. 6. *de Locis cap.* 8. in *resp.* *ad 10.* Castro Lib. 1. *advers.* *Eleves cap.* 9. Corduba Lib. 1. *quest.* 17. §. 2. Malderus in *pres.* *art.* 10. *Disp.* 5. Aravio in *pres.* *dub.* 2. *Concl.* 2. *Azor. Lib.* 4. *cap.* 5. §. in *hac Controversia*; & tandem Carmelitæ Salmanticenses (a) qui pro sua Sententia eos omnes, quos retulimus, laudant, quosque *Vires Catholicas*, *Sapientissimas*, & *acerrimos Pontificis Dignitatis vindices* vocant *Tract.* 17. *de Fide Disp.* 4. *dub.* 2. Quibus addi possunt Ludovicus Turrianus in *selectis Disp.* *part.* 1. *Disp.* 35. & Gaspar Hurtado *Disp.* 11. *de Fide Disp.* 3.

Hoc idem de Conciliis Generalibus, ac de ipso Concilio Nicæno I. docet Cardinalis Bellarminus Lib. 2. *de Conciliorum Auctoritate cap.* 9. non esse scilicet Divina Fide tenendum, hoc, vel illud Concilium esse legitimum; sed hoc alia probatione evidens fieri, nempe *ex humana fide, sed certissima, & que evidentie naturali aliquo modo comparari possit. Nam exempli gratia, Nicænum Concilium fuisse legitimum, non solum unum, aut alter Historicis restatur, sed multi, & varii Scriptores ejus temporis, temporum consequentium, & Ecclesie, que nunc est, id ipsum asserunt; nec est, aut fuit qui contrarium sentiat, aut senserit.* Unde experimento videmus, quibusdam nonnulla Œcumenica pro Œcumenicis a quibusdam Ecclesiis minime haberi.

In ea porro Theologorum illorum Sententia falsa est major Propositio duplicis Argumenti propositi, planumque fit, Fidei nostræ non subesse falsum; tametsi forte contingeret, illum non esse vere electum, atque ita non esse vere Pontificem, quem Pontificem agnoscerimus, illud non esse re ipsa Concilium Œcumenicum, quod Œcumenicum existimamus. Quandoquidem illa duo peculiariter, & singulariter ad Fidem Divinam minime pertinere disertissime docent; atque adeo Judicium duntaxat prudentialiter falleretur, quo judicamus, hunc esse legitime electum, quem Ecclesia tanquam legitime, & canonicè electum proponit Fidelibus univèrsis: hoc esse Legitimum Concilium, quod Ecclesia, uti legitime celebratum veneratur, & colit.

Qui autem ex adverso contendunt Theologi, Fide Divina tenendum esse, hunc singularem Hominem, E. G. Clementem XII. esse re vera Romanum Pontificem; hoc peculiare Concilium, E. G. Nicænum esse re vera Œcumenicum; nec satis esse, si id ex infusa prudentia teneatur: illud quoque contendunt, nunquam huic actui Fidei, quo ista credimus, subesse falsum; quia fieri non posse ajunt, quod Deus Ecclesiam suam ita deserat, ut in judicandis conditionibus ad Electionis validitatem necessariis (quod nempe sit baptizatus, & Vir, & non Mulier,) aliquando fallatur.

Neque huic Theologorum istorum Sententiæ obest, quod ne ipsa quidem Ecclesia univèrsa ex Fide, Divinaque Revelatione noverit, Pontificem electum Virum esse, non Fœminam, veroque Baptismate fuisse cinctum; (quæ duo sunt ad Electionis validitatem necessaria) nec enim id Fide Divina teneri necesse est, ut Is, aut Ille Fide Divina creator legitime electus in Romanum Pontificem; sed satis est, si hæc certo teneantur, qualicumque certitudine, etiam mere naturali,

Serry Tom. IV.

Cujus hæc ratio est, observatione dignissima: Quia quæ ad actum Fidei exerendum prærequiruntur notitiæ, atque securitates, satis est, si certa sint qualicumque certitudine; nec necesse est, notitiæ illas, atque securitates Fide, & Revelatione Divina certas esse; alias nihil ferme Fide Divina credi a Fidelibus posset. Exempli gratia, ut quis Fide Divina credat Mysterium Trinitatis, aut Incarnationis, necesse est, ut antea sit certus, atque securus de multis, de quibus tamen Fidei certitudinem non habet, Certus primo debet esse, se hujusmodi Mytheria audivisse, sibi ab Ecclesia proponi: Fides enim est *ex auditu*, ut ait Apostolus, *ad Romanos cap.* 10. Secundo certus esse debet, se idioma, quo sibi ea Mytheria nunciata sunt, recte callere, ut sciam sibi prædicationem recte intellexerit. Tertio certus esse debet, eum, qui sibi Ecclesie nomine talia Mytheria nunciavit, verum, atque fidelem esse Ecclesie Ministrum, qui suo probe fungatur Officio; nec veritatem, quam enunciat, adlateret. At de his omnibus nemo Fide Divina certus est; sed partim Experimento, partim ex Scientia naturali, partim ex humana Prudentia hujusmodi certitudinem mutuatur. Ita plane in præsent: ut quis etiam Divina Fide credat, Clementem XII. esse verum, legitimumque Pontificem, ac D. Petri Successorem, necesse est, ut antea sit certus, eum esse legitime electum, eum esse Virum, non Fœminam; eum esse baptizatum, & quidem valide; at non est necesse, ut de iis pariter certus sit Fide Divina, Divinaque Revelatione; sed satis abunde erit, si de iis aliunde sit certus, quacumque alia, seu naturali, seu moralis notitia.

Quod autem de Joannæ Papiæ vulgo jactatur; eam scilicet, uti verum, legitimumque Pontificem ab Ecclesia habitam; quæ tamen, deficiente virili Sexu, Pontifex re ipsa non erat; id, inquam, nihil pendo, quod Fabula sit omnium ineptissima, ab ipsis etiam Protestantibus, quibus aliquid judicii est, eruditissime confutata. Quisnam vero Fabellæ hujus Auctor fuerit, incompertum est. Quidam illum fuisse Marianum Scotum; alii Martinum Polonum contendunt. Verum horum neutrum ineptia hujus Archiepiscopi existisse, plures, iique docti, & eruditi Viri satis ostendunt; ut legere licet apud Cardinalem Lambertinum *De Serv. Dei Beatif.*, & *Beator. Canoniz.* Lib. 3. *cap.* 10. n. 4. Pagius uterque censet, mendacium istud emerisse post annum 1278., quo Martinus Polonus e vivis migravit. Alii de illius origine alia scripserunt. Porro in hoc sita est ridicula hæc Historia, quod Leone IV. Romano Pontifice e vivis sublato die 17. Julii anni 855. eidem in Romana Sede proxime successerit Joannæ mulier, Vir tamen existimata, quæ annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor Pontificatum obtinuisse fertur. At tamen quotquot Saeculo illo, ac proxime sequenti, de Romanorum Pontificum ferie, ac successione scripserunt, Leoni IV. Benedictum III. nullo medio, successisse disertissime contestantur; ut nullus Joannæ Papiæ locus relinquatur.

Pigmentis subinde multis ab otiosis Scriptoriibus, inter quos extitit Joannes Platina, aucta fabella est; qui falsi perinde convincuntur: ut quod Joannæ Papiæ a Cubiculario suo clanculum gravida facta sit, & in solemnium demum Supplicatione pepererit, dum ad Lateranensem Basilicam solemnem apparatu pergeret, inter Theatrum, quod Coliseum de more dicunt, & D. Clementis Templum; ibidemque ex partus dolore extincta sit.

I i 2

Unde

(a) Vide Salmanticenses Editionis Venetæ 1683. Tract. 17. de Fide disput. 4. dub. 2.



Unde postmodum effectum ajunt, ut in Facti excommunicationem, nunquam ea via procedant Romani Pontifices, quocumque illos ire contingat: ac ne quid simile aliquando impolterum eveniret (Mulierem scilicet ex Sexu errore in Pontificem eligi) statutum addunt Nugivendi, quod, qui in Pontificem proxime est eligendus, federe aliquantulum jubeatur in Sella stercoraria, seu perforata, ut Diaconorum Cardinalium ultimus ea, quae sunt Viri, contrectet, ad Sexus explorationem. Quae omnia pura putaque Commenta sunt. Nec enim viam illam, ubi Joanna Papissa enixa fingitur, studioso declinant Romani Pontifices, dum per Urbem procedunt: ac si forte declinent, alia certe de causa id fieret; quod nimirum angustior via illa sit, nec satis capax pompatici Comitatus, & Satellitii, sine quibus non solet per Urbem procedere Summus Pontifex. Nec ad Sexus explorationem, quae nulla sit, in Sella stercoraria federe jubeatur, antequam eligatur, Romanus Pontifex; sed longe post factam Electionem; dum videlicet prima vice Basilicam Lateranensem solemni ritu ingreditur. In Sella tunc sedet, quam de more Stercorariam vocant, non a forma, quod perforata sit: sed quia quoto illic tempore sedet novus Pontifex, Chorus versiculum illum *Psalmi 112.* decantat, *Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem*; Hinc illi Stercorariae nomen inditum. Sciens loquor, qui Romae diu subsisti, huicque Solemnitati praesens interfui anno 1691., dum Innocentius XII. Basilicam Lateranensem primum ingressus est, ad ineundam Pontificatus sui Possessionem.

Purissimam illam de Joanna Papissa Fabellam, ortam existimo, si Baronio credimus ad annum 879. §. 5. occasione Joannis VIII. Pontificatum obtinentis sub finem Saeculi IX. Is enim ob *vim animi facilitatem, & molliorem* (verba Baronii sunt) *absoluta penitus omni virilitate, fractus animo, Sacerdotalis constantiae expertus, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus, & Hadrianus, sed Papissa sicut contumelia loco dictus; utpote qui nec resistere sciret Eunuchis, quique vinceretur a Seniviro, non Vir, sed esset foemina potius nuncupandus; & sic nomen contumeliae transierit, Posteri verum inscius, in veritatis opinionem; atque ita compluribus decantatum fuerit, Joannem VIII. Papam fuisse foeminam; sique jactata vulgo inveniret eo modo locum Fabula.* Ita Eminentissimus Annalium Scriptor. Alii tamen ad Joannem IX. ut Joannes Aventinus *Lib. 4. Annal. Bojorum cap. 20. §. 52.* alii ad Joannem VII. ut Papebrochius in *Conatu Chronico-historico*, alii tandem ad Joannem XII. ut Panvinus in *Annot. ad Platinam pag. 106.* Fabulam referunt, unoquoque pro libito conjecturas suas venditante. Utcumque tamen sese res habeat, Fabula est totum olens Aesopum. Quapropter perperam, & imprudenter nobis a Nebulonibus nonnullis objicitur, ut inde Fidei, qua credimus, hunc vel illum esse verum Romanum Pontificem, ac D. Petri Successorem, falsum quandoque subesse posse demonstrent.

Plures alii supersunt, Viri Theologi, expediendi casus, in quibus Divina Fides, qua aliqui credimus, ad falsum credendum inclinare ex accidenti videtur. Sed cum satis jam temporis in hoc tractando Argumento hodierna luce infumserimus, in crastinam Praelectionem eos expendendos remittimus, qua Controversiae huic a Theologis, praesertim veteribus, salsus agitatae finem imponemus.

## PRAELECTIO V.

*Argumentum superius continuatur, Casusque reliqui expenduntur, in quibus Divinae Fidei falsum quandoque ex accidenti subesse videtur.*

Quinque hesternae Exercitatione, si bene meministis, Viri Theologi, Casus retulimus, atque resolvimus, quibus id videbatur evinci, quod nos impossibile prorsus existimamus; Fidei nimirum Divinae ex accidenti, seu ex parte credentis Hominis posse aliquando falsum subesse; hoc est posse quandoque Homines uti verum Divina Fide tenere, quod reapse sit falsum: in adoratione Hostiae, quae minime fuerit consecrata; in Cultu Sanctis exhibitio, qui vere tales non sint; in Sacrarum Reliquiarum veneratione, quae forte fictae sint, atque supposititiae; in Electione Summi Pontificis, qui occulto defectu aliquo Supremae illius Dignitatis capax non esset; & demum in Celebratione Concilii Oecumenici, quod legitimum ratione aliqua nequaquam foret: quibus, ut puto, satis abunde fecimus, dum in nullo ex iis Casibus, tamen aliquando contingeret, quod tamen difficillimum arbitror, Divinae Fidei falsum aliquid subesse, luculenter ostendimus. Superest modo, ut ceteros, qui a nonnullis obijciuntur, Casus ad limam vocemus, videamusque, num meliori forte fortuna Sententiae nostrae incommodum ferant.

Primus Casus est Apostolica Traditio de aliquo, ut Fidei Dogmate, quae vere talis non sit; sed tamen vel a primis Ecclesiae Saeculis in Ecclesia consecrata, & a prioribus pluribus Christianis credita, ac praedicata: cuiusmodi E. G. fuit Error Millennariorum, qui post Mundi finem Electos super hac Terra mille cum Christo annis regnatos, ex Traditione Apostolica dicebant. Non ab similitur & Error alter, in quem plures ex Patribus, etiam antiquioribus, impegisse, satis compertum est Eruditis: Justorum videlicet Animas e Corporibus suis egressas non statim ad Coelestem Patriam evolare, ut Divina Visione fruantur, sed in Paradisum Terrestrem transferri, ut ibidem ad universalis usque Judicii diem feliciter vitam agant. Quem quidem errorem S. Irenaeus, qui secundo Saeculo floruit, & Apostolorum Discipulos audire potuit, ex eisdem accepisse testatur *Lib. 5. advers. Haeres. capp. 5. & 31.* Qui tamen Error in Concilio Florentino Oecumenico sub Eugenio IV. damnatus fuit, ut notat Ferraventius ad *cap. 31. ejusdem Lib. advers. Haeres.* Quidquid autem ex Traditione Apostolica derivatum creditur, Fide Divina creditur, cum ea altera sit post Sacros Libros Christianae Fidei Regula. Potest itaque Fidei Divinae ex accidenti quandoque subesse falsum; dum nimirum ea tanquam ab Apostolis tradita creduntur, quae vere talia non sunt.

Idem plane contingere posset, si quis in Scripturam Sacram ab Infidelibus, vel Haereticis depravatam incideret; in qua falsum aliquod Dogma reperiret insertum, quod is uti a Deo revelatum Fide Divina ita crederet, ut, si daretur occasio, sanguinem pro illo fundere paratus esset.

Accedit & aliud, quod nedum accidere posse, sed fieri revera nostris hinc temporibus fertur: a nonnullis videlicet Confessariis tam audacter, quam imprudenter Penitentibus suis suaderi, ut votum emittant (quod sanguinarium nuncupant) quo se religioso promisso obstringant, sanguinem totum, data occasione effusuros pro tuenda pia Sententia de Immaculata Deiparae Conceptione.

Cer-

Certe qui ita suadent, vel qui ejusmodi votum emittunt, Fide Divina credere primum oportet, peccati Originalis labe immunem prorsus fuisse in primo etiam suae Conceptionis instanti Virginitate purissima Sanctissimum Animam. Neque enim, nisi in alicujus Fidei Dogmatis protestationem, sanguinem profunderet, vel ad hoc se voto alligare, Christianis fas est. Quod tamen, cum ab Ecclesia definitum non sit, nec aliunde ex Scriptura, vel Traditione evidenter colligi queat, Fidei Dogma esse non potest. Quid si forte aliquando Ecclesia a Deo inspirata oppositum definiret? Neque enim puto, aliquem fore audeam adeo, ac imprudentem, qui hanc Ecclesiae potestatem inficietur. Potest igitur Divina Fide teneri, & credi, quod falsum esse, atque erroneum, innotescere aliquando possit.

Haec tamen omnia, si paulo penitus perpendere liceat, nihil prorsus evincere, compertissimum erit. Ad duos etenim priores Casus nullo negotio reponimus, nec Traditionem illam, quamvis Apostolica ea aetate temporum ab aliquibus existimata fuerit, nec Scripturam eam ab Infidelibus vitiatam id efficere, vel efficisse, ut falsum Dogma Fide Divina, uti verum Fidei Dogma creditum fuerit, vel credatur. Ut enim Divina Fide aliquid tenemus, satis profecto non est, ut ex vaga quacumque Traditione, vel ex qualibet Scriptura id delibemus; Sed necessum omnino est, ut omnimodam certitudinem habeamus, hujusmodi Traditionem esse ab universalis Ecclesia receptam, atque probatam, & talem Scripturam esse nobis ab ipsamet Ecclesia, ut verum, legitimum, & purum Dei Verbum, propositam: quod certe nec de Scriptura ab Infidelibus vitiatam affirmare quis poterit. Quare iis in Casibus ob necessariae conditionis defectum, non Fide Divina, sed potius humana falsum Dogma pro vero tenemus; dum scilicet veraces & falli, ac fallere nescios existimamus, qui Traditionem illam se ab Apostolis habuisse testati sunt; & sinceris, ac integerrimos homines, qui corruptam, & vitiatam Scripturam, ut illuderent, vulgari curarunt, eamque tanquam incorruptam, & intemeratam protulere: unde non Fides Divina, sed Prudentia humana iis in Casibus in errorem inducit, & ad falsum pro vero credendum Intellectum inclinat.

At vero mirari satis non possum, dum tertium proponi a nonnullis Casum intelligo; quem quidem nedum Viro Theologo, sed vel Christiano indignum prorsus existimo. Quid etenim juvat, in medium afferre Sciorum quorundam periculosas novitates, qui ut a ceteris Christianae Disciplinae, Morumque Regulis plus nimio deflectunt, ita in hoc quoque imprudentissimo Excogitato falluntur maxime, & fallunt incautos. Falluntur, inquam, & fallunt, dum sanguinem fundere pro veritate nondum comperta, privatiffique duntaxat Scholarum Opinionibus nixa, nulla Ecclesiae auctoritate accedente, ad rationem melioris boni, quo certe tendere Votum Religione partum necesse est, spectare autumant. Nos porro privatas hujusmodi quorundam aberrationes nihil ducimus, imo omnino improbamus, & apprimere detestamur, ceu superstitionis, & male natis Simplicibus decipiendis inventiones. Quapropter tantum abest, quod ii Divinae Fidei Haereticum moveantur, vel inducantur ad Votum illud Sanguinarium sive suadendum, sive executioni mandandum; ut contra potius Christianae Oeconomiae Regulis, quae sanguinem fundere pro certa duntaxat, compertaque Catholicae Fidei Veritate aliqua Fideles edocent, plane adversentur. Sed ad saniora properemus.

Quartus itaque Casus solet ab Adversariis nobis obijci, dum privatus quidam Episcopus, aut etiam (quod contingere potest, contigitque re ipsa in Africa Saeculo III.) totius alicujus Provinciae, aut etiam Regionis Episcopi in Synodo congregati, in Errorem prolapsi sunt: huncque ipsum Errorem, tanquam Fidei Dogma, credendum Fidelibus sibi subditis proponunt. Tunc enim Dicecesis illius, aut etiam Regionis Fideles illiterati, ac simplices, qui sibi propositum ab Episcopis Errorem discernere nequeunt, cum Theologi minime sint, ex Fide, & quidem Divina Dogma sibi ab ea Synodo propositum, simpliciter credunt; imo etiam tenentur credere; seque tanquam Haeretici plebsi possent. Tunc itaque, si unquam alias, Fidei illorum per accidens subest falsum. Ita plerique argumentari solent.

Falso tamen, ac perperam. Nec enim ita res est, uti prima fronte existimatur: quia eo in Casu Errorem sibi ab Episcopis illis propositum nequam credunt Fideles illiterati ac simplices Fide Divina, sed humana duntaxat credulitate, qua falso putant Episcopos suos fat bene eruditos esse, ac religiosos, ut non nisi revelatam a Deo Veritatem illis credendam proponant: est ob Actuum Similitudinem arbitrentur se credere Fide Divina, quod credunt humana. Neque obest, quod, tanquam Haeretici plebsi possent Fideles illi simplices & idiotae, si Errorem, sibi ea occasione propositum ab Episcopis, credere pertinaciter detrectarent. Possent plane, ut Haeretici, plebsi, sed mera Juris praesumptione: quia, tamen formales Haeretici nequaquam essent (nemo enim Haeticus est, quod non credat Errorem) tales tamen esse praesumerentur; essentque revera, ut ajunt, materiales Haeretici, ob primum illorum affectum, quo ducerentur, ut nulla Episcoporum suorum ignorantia, aut improbitate detecta, id credere nollent, quod ii, tanquam a Deo revelatum, credendum proponerent.

Quintus Casus, in quo falsum Fidei subfuisse, saltem ex accidenti, videri potest, contigit toto illo temporis interstitio, quod a Christi Nativitate ad publicam ejusdem manifestationem effluxit. Tunc enim Fideles, quibus Christi ortus nondum innotuerat, Christum venturum credebant, & quidem Fide Divina, quae tamen hoc in Capite falsebatur, cum jam re ipsa venisset.

At est illa mera hallucinatio. Aliud enim Fide Divina eo temporis interstitio credendum erat, aliud ex conjecturis humani prudentia detegendum. Fide Divina tenendum erat, Christum aliquando, ac etiam, si vultis, ad ea circiter tempora esse nasciturum: Sic enim Prophetae prae-nuntiaverant; atque in eo credendo Fideles nequaquam errabant. Donec autem Christi adventus publice nuntiaretur, non nisi ex conjecturis detegi poterat, num jam tunc re ipsa natus esset, qui nondum erat publicatus. Quare qui Eum tunc temporis venturum credebant, dum re ipsa jam venerat, errabant duntaxat in iudicio prudentiali, minus recte de adventu eius distantis iudicando; nequaquam tamen Fide Divina: quodque notandum magis, Error ille de circumstantiis adventus Christi Domini venialis omnino erat, cum superari non posset, defectu manifestationis, & publicationis adventus illius. Dicam id uno verbo: nullo pacto errabant, dum adhuc venturum credebant; quia illis nondum venerat manifestus, eorumque respectu Christus nondum advenerat; eratque quasi non venisset.

Casus sextus est, dubii seu contentiosi schismatis in Ecclesia; quale profecto illud fuit, quo Ec-



Ecclesia discissa est Sæculo XV. dum de Romana Sede contenderent Benedictus XIII. & Gregorius XII. Adeo enim obscura tunc erant Pontificum illorum iura, ante iudicium saltem Concilii Constantiensis, ut Fideles bona fide in utriusque Pontificis obedientia, inculpata, tutaque conscientia vivere, ac etiam salvari possent. Unde secutis inde temporibus Divorum albo adscripti sunt Petrus a Luxemburgo, & Vincentius Ferrerius; quamquam ille Gregorio XII. Iste Benedicto XIII. adhæssisset. Eo igitur in schismate, cum ambo Pontifices legitimi esse non possent, sed illorum saltem unus falsus esset, aut etiam ambo; quotquot falso Pontifici adhærebant, in Fidei Capite errabant: quandoquidem Fidei Divina tenebant, hunc verum esse Pontificem, qui tamen re ipsa non erat: idque inculpate, ac religiose.

Verum falsa est illa Consecutio, quia falsa est, quæ ibi fit suppositio. Qui enim tunc falso Pontifici adhærebant, eumque verum Pontificem esse credebant, non ex Fide Divina credebant, nec ex ea credere tenebantur. Quandoquidem dum docent Theologi nonnulli, Fide tenendum esse, hunc numero Hominem electum esse revera summum Pontificem, id docent tantum ubi Electio ab Universa Ecclesia recepta probataque sit; nequaquam vero ubi Electio dubia est, & in ipsa etiam Ecclesia Catholica vocatur in controversiam. Tunc enim, qui alterutri Pontifici adhærent, prudentia duntaxat humana ducuntur, non Fide Divina.

Casus septimus, in quo Fidei falsum subesse videtur, contingit, ubi Divina quædam revelatio privata Personæ facta est, E. G. Divæ Birgitæ, aut Divæ Theresiæ. Contendunt enim Theologi, cæteros quidem Fideles non teneri ad fidem privatis illis Revelationibus adjungendam, teneri tamen illam ipsam singularem Personam, cui Revelationis facta est. Potest autem private huic Revelationi subesse falsum; imo quotidie privatæ hujusmodi Revelationes a Viris eruditissimis, & emundatæ naris falsi convincuntur, meraque Somnia, & inania Commenta probantur esse. Tunc ergo Fidei privatarum ejusmodi Personarum falsum subest.

Ite tamen Casus ad præsens Institutum nostrum nihil omnino valet: Quia, qui Theologi putant, teneri privatas illas Personas, quibus Revelationes aliquæ factæ sunt, fidem illis adjungere, fidem intelligunt, ut simpliciter Theologica virtus est, non ut Catholica est. Catholica quippe Fides, ut ait Apostolus ad Ephesios cap. 2. *Edificata est super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, non super fundamentum alterius cuiusvis ab illis.* Nos autem hic agimus de hujusmodi Catholica Fide, ad totum Ecclesiæ Corpus attinente; deque illa duntaxat querimus, an ei saltem per accidens possit subesse falsum.

Addiderim ego, privatas illas Personas, quibus factæ dicuntur hujusmodi Revelationes; illis quidem assentiri posse, sed ex mera opinione; cum semper dubitare possint, ac etiam debeant, (nisi eis entia certitudinis Signa appareant, puta Prodigia totius Naturæ ordinem excedentia) ne Angelus tenebrarum transfiguret sese in Angelum lucis, non autem Fide Divina, quæ omnimodam secum certitudinem affert.

Postremus tandem Casus longe subtilior est, captivusque difficilior; in quo non modo Fidei Divinæ falsum subest, imo etiam assensus Fidei insit in assensum prorsus hæreticum, illiusque sit causa. Accidit Casus ille in Argumentatione erronea, in qua ex duabus Propositionibus, quarum una hæretica sit, altera orthodoxa, infer-

tur Conclusio hæretica: ut dum ita Eurychianus argumentatur: *In quo est una Persona, est quoque una Natura: at in Christo est una Persona: igitur in Christo est una Natura.* Cum enim ex generali Dialectica Regula assensus Præmissarum causa sit assensus Conclusionis, assensus tum præstitus minori Propositioni, quæ Fidei Dogma est, *in Christo est una Persona*; causa est, saltem partialis, assensus erronei præstiti hæreticæ Conclusioni, ergo *in Christo est una Natura*: adeoque Habitus Fidei Divinæ, quo credimus ali-quod Dogma catholicum, (ut in Christo unam esse Personam) potest, saltem ex accidenti, inclinare ad assentiendum Errori.

Miror, Theologos aliquos in ea expedienda Argutia desudare. Mihi simplicius & expeditius videtur, si dicatur, in syllogismis demonstrativis, ac etiam probabilibus assensum Præmissis præstitum causam esse assensus Conclusionis; non ita tamen in syllogismis erroneis, in quibus Præmissarum altera, vera atque catholica, ad falsum aliquid concludendum inferitur. Tunc enim sola Præmissa falsa insituit, ratione materiæ, in falsam Conclusionem: altera autem Propositio vera nullo pacto insituit in falsam Conclusionem, quamquam videatur insuere ratione formæ syllogisticæ, seu malæ connexionis Propositionis falsæ cum vera. Dum itaque sic argumentatur Eurychianus: *In quo est una Persona, est quoque una Natura: at in Christo est una Persona: igitur in Christo est una Natura*; Propositio illa minor *in Christo est una Persona*, ratione intrinsecæ veritatis, seu, ut Dialectici ajunt, ratione materiæ, nihil insituit in hæresim contentam in Conclusionem *in Christo est una Natura*: est ratione formæ syllogisticæ videatur insuere; quatenus logicali artificio colligat cum erronea Conclusionem Principium illud erroneum, *in quo est una Persona, est quoque una Natura*: sed colligatio duntaxat est ratione formæ syllogisticæ, non ratione materiæ, seu intrinsecæ veritatis, quæ nulla est. Neque id mirum videri debet; cum spectata sola syllogistica forma, possit etiam sequi Dogma Fidei ex duplici Propositione hæretica; ut si quis dicat: *ubi est una Persona, est quoque una Persona: sed in Christo est una Natura: ergo in illo est una Persona.* Nihil itaque dubitandum, quin assensus Fidei veritati præstitus nunquam inclinet intellectum ad assentiendum falsitati, atque ita Fidei, quæ Theologica & Catholica Virtus est, nunquam, ac ne quidem ex accidenti, possit subesse falsum.

Atque hæc peculiaris est Fidei prærogativa, quæ cæteras Virtutes Theologicas vincit. Potest enim & Charitati, & Spei subesse falsum. Potest E. G. quis ex vera Charitate impertiri elemosinam pauperi reputato; qui tamen re ipsa pauper non sit: Potest & quis vera Virtute sperare, quæ nunquam illi bona obvenient: non potest tamen quis Fide Divina credere, nisi quod constat esse verissimum. Quorsum id? Discrimen assignat Doctor Angelicus 2. 2. *quest. 1. art. 3.* Quod Fides Virtus intellectualis sit, seu perficiens Intellectum in ordine ad verum, & quidem Divino Testimonio agnatum, probatumque: Charitas, & Spes non item. Non enim itæ versantur circa verum, ut verum; sed circa bonum per se, & formaliter, ut Schola loquitur. Quare itis Virtutibus factis est, si suos actus exerceant circa bonum æstimatum, & iudicatum ut bonum, est forte ita vere non sit.

Eccur ergo, inquit, non poterit perinde Fidei actus exerceri circa verum, æstimatum tantum, ut verum; quemadmodum exerceri potest Charitatis actus circa bonum æstimatum tantum, ut

ut bonum? Responso in promptu est: quia ad Virtutum intellectuales, qualis est Fides, pertinet ita discernere; illudque non apprehendere, uti verum, quod re ipsa verum non sit: non item id pertinet ad Charitatem, quæ Intellectum per se non perficit, sed Voluntatem.

Sed est, inquit forte, etiam Prudentia Virtus intellectualis; quam tamen sæpe falli, nec probe iudicare, milles comperimus. Ita sane; sed non perinde, ut Fides, infallibili Medio Prudentia nititur: Quare nihil mirum, si & ipsa pleurumque fallatur.

Iis jam enodatis, quæ ad Fidei certitudinem explicandam necessaria videbantur, reliquum est, ut de iis quoque dicamus, quæ ad eisdem obscuritatem exponendam pertinent. Erit id sequentis Exercitationis Argumentum.

## PRÆLECTIO VI.

*Obscuritatem ita Fidei Divinæ essentialē esse, ut de eodem Objecto, est per diversa Media, nulla ratione cum Scientia, quæ evidentiam adfert; imo nec cum evidentiā Revelationis de Mystero aliquo, si forte haberetur, stare possit, defenditur.*

**D**E Fidei certitudine, qualis quantaque sit, in antehabitis Prælectionibus factis diximus; de illius obscuritate, quæ altera est Divinæ Fidei Prærogativa, impresentiarum dicendum. Certe nihil tam tritum, & familiare in Sacris Litteris reperitur, & SS. Patribus, quam esse fidem Christianorum obscuram, ac de rebus nobis prorsus obscuris. Est autem, (inquit Apostolus ad Hebræos cap. 11.) *Fides sperandarum substantiarum verum, argumentum non apparentium*: Petrus in sua Epist. 2. cap. 1. *Habemus firmiorem Prophetiarum sermonem: cui beneficiis attendentes quasi lucerna lucens in caliginoso loco: quod de Fide dictum est, quæ fundata est super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, nemo ambigit*: Augustinus Tract. 40. in Joan. *quid est enim Fides, nisi credere, quod non vides?* Quod & alii communiter profitentur. Quo sensu tamen, & quare Fides dicatur obscura, non perinde ab omnibus intelligitur. Ego quidem, si quid in his valeo, ita puro intelligendum, ut Fides obscura dicatur, non quod ipsamet, seu Divinum Testimonium, cui Fides innititur creet ejusmodi obscuritatem in mentibus nostris: ablit: sed obscura dicitur propterea quod obscuritatem, quæ in mentibus nostris est de Divinis Mysteriis, non depellit. Divinum enim Testimonium veritatem aliquam nobis attestans, E. G. Deum esse in Persona trinum, non efficit, ut nobis obscurum sit Trinitatis Mysterium; sed cum nobis in antecessum sit obscurum, & incertum, Divinum Testimonium superveniens obscuritatem illam ab intellectu non depellit, quamquam depellit incertitudinem. Quare Mysterium Trinitatis nobis quidem certum evadit vi Testimonii Divini, illius veritatem attestantis; sed manet adhuc nobis obscurum; quia Dei Testimonium nullam illius evidentem speciem nobis ingerit. En quid proprie fit obscuritas Fidei Divinæ.

Hujus autem obscuritatis occasione illud solet a Theologis disputari: possit ne Fides, obscura cum sit, stare simul cum Scientia de una, eademque veritate; E. G. de Divina Existentiā, de Providentiā, de Dei Æternitate, Omnipotentia, aliisque Attributis, quæ uti Fide tenentur, ita possunt ratione naturali demonstrari. Tota porro ex obscuritate, quam Fidei propriam diximus, & evidentia, quæ Scientiæ congenita est, oritur difficultas; num videlicet possint una simul eodem

in animo de una eademque veritate coherere, per distincta saltem, diversaque Media. Affirmant Theologi primæ notæ, ac pervertuti, Alexander Aletis *Quest. 68. de Fide Formata art. 3. in Resolutione*; Albertus Magnus in 3. *Sent. Dist. 24. art. 9. D. Bonaventura in eadem Dist. 24. art. 2. quest. 3.* Durandus in eadem *Dist. quest. 1. Gabriel ibidem Coel. 2.* & alii bene multi, quibus subscribere solent Moliniana Scholæ Professores, Negat tamen Doctor Angelicus 2. 2. *quest. 1. art. 4. & 5.* cujus Sententia SS. Patribus, & rationi Theologicæ magis utique videtur congruere.

Patres enim non modo constanter affirmant, fidem esse de rebus obscuris, non visis, non apparentibus; verum etiam addunt, hujusmodi res obscuras, non visas, non apparentes, quæ per fidem attinguntur, non posse simul apparere, & videri per Scientiam, aliudve quodcumque Medium. In his maxime sunt D. Augustinus in *cap. 1. Epist. Joan. ad Parvos Tract. 1. n. 3.* & D. Gregorius Magnus in *Evangel. Lib. 2. Hom. 26. n. 8.* ubi occasione verborum Christi Domini ad Thomam Apostolum, *quia vidisti me Thomam, credidisti*, studiose inquirunt, qui fieri poterit, ut Thomas Fide crediderit, quod viderat, cum de iis rebus sit Fides, quæ non videntur; solvuntque Difficultatem reponendo, Thomam non idem credidisse, quod viderat, sed aliud vidisse, aliud credidisse: *Quia vidisti hominem, inquit Augustinus, confessus est Deum. Sed aliud vidit, ait Gregorius, aliud credidit. . . . Hominem ergo vidit, & Deum confessus est.* Porro, inquit ego, si fieri posse existimasset Patres illi, ut quod Fide creditur, alio simul Habitu, aliove Medio videretur, non erat profecto, cur ad illud Responsum confugerent, Thomam non idem vidisse, & credidisse; eumque aliud vidisse, aliud credidisse; sed cum præcis illis Theologis facile reposuissent, idem vidisse Thomam, & credidisse diverso Medio: vidisse, inquam, Sensibus corporis, & credidisse per fidem: quia diversis Mediis, & Habitibus potest idem videri simul, & credi.

Suadet hoc idem ratio manifesta, ex Philosophiæ Principiis ducta. Formæ habentes effectus formales privative, vel contradictorie oppositos, simul eodem in subiecto stare non possunt: contradictoria enim de uno eodemque simul dici non possunt: Fides autem, & Scientia sic se habent; cum illa obscuritatem, ista evidentiam præferant: simul igitur eadem de re stare non possunt.

Haud me fugit, reponere solitos esse Theologos illos, nihil obesse, quominus Formæ illæ, quæ effectus formales inter sese oppositos habent, sint simul per diversa Media, et si non possint esse per idem. Verum nec ita quidem vim Difficultatis effugiunt. Primo quidem, quia diversitas Mediorum, quibus formæ illæ in subiectum induci dicuntur, non tollit oppositionem, quam habent illæ inter sese: Fides autem, & Scientia hujusmodi oppositionem secum afferunt necessario, cum illa obscuritatem, evidentiam ista ex sui natura perpetuo ferant: simul igitur ea de re stare non possunt. Secundo, quia sola diversitas causarum efficientium non tollit oppositionem effectuum inter sese contrariorum: frigus E. G. & calor, lux & tenebræ, Fides & Hæresis, quamquam a diversis causis efficientibus procedant, inter sese nihilominus opponuntur: diversitas itaque Mediorum, seu causarum præstare nequit, ut Fides, & Scientia de eodem prorsus Objecto simul invicem copulentur.

Sunt qui aliam effugiendi viam aperuere, ut eam repugnantiam declinarent, quæ illos nimium



male torquet. Reponunt itaque, obscuritatem non esse Fidei essentialiam, sed accidentalem duntaxat; aut, ut quidam illorum barbare loquuntur, Fidem esse quidem obscuram *permixtæ*, non *exigivæ*; seu obscuritatem quidem admittente, non tamen exigere. At si profecto recedunt ab Apostoli, Patrumque Doctrina; qui Fidem ex essentialibus definitis, obscuritatem uti defectum illius individuum, & indivisum agnoscunt: non quod eam creet, efficiatque obscuritatem, sed quod eam minime depellat. Quid quod differentia specificæ quarumcumque rerum essentialis esse, non accidentales ex Metaphysica satis compertum est; adeoque non permittuntur, seu admittuntur tantum, sed necessario exiguntur.

Videamus tamen, quid priscos illos Theologos deluserit, ut Fidem cum Scientia stare posse contenderent. Divinæ Scripturæ, inquit illi, Concilia, Patres, Sacra Symbola, quoties narrant, quæ Fidelibus universis Fide credenda sunt, ea quoque percensent, quæ Viri docti per Scientiam tenent, uti Deum existere, summam esse Providentiam, Æternam, Omnipotentem, Omnisciam, Immutabilem: nec tamen a Fide iis Veritatibus adhibenda Viros doctos liberos faciunt: id ergo pro certo supponunt, quæ Scientia tenentur, Fide etiam credi posse. Hoc maxime momentum urget Franciscus Suarez *Disp. 1. de Fide quest. 1. punc. 4.*

Una Doctor Anglicus spongia delet quæcumque a Suarezio congeruntur, 2. 2. quest. 1. art. 5. ad 3. *Quæ demonstrative probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de ipsis simpliciter sit Fides apud omnes, sed quia præexiguntur ad ea que sunt Fidei, & oportet ea saltem per fidem presupponi ab iis, qui eorum demonstrationem non habent.*

Neque obest, quod Apostolus *ad Hebræos cap. 11.* distincte notet, Fide esse credendum, Deum existere, & summum esse Remuneratorem: *Credere enim, inquit, oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* quali necessitate, & obligationem universis imponat ea ipsa credendi per Fidem. Repono enim primo, verbum *credere*, quod illic usurpat Apostolus, æquivocum esse, idemque forte sonare, ac *rem certo tenere*, quovis tandem modo teneatur, seu Fide, seu Scientia. Secundo, de Deo Auctore supernaturali, & Remuneratore per Beatitudinem supernaturalem loqui eo loco Apostolum, cuius certe Scientiam non habemus. Tertio, teneri quemcumque ad illa duo, quæ notat Apostolus, Fide credenda, si aliunde demonstratione minime probentur.

Inquis tamen mihi, si ita sit, Theologus deterioris est conditionis Viro illiterato: tum quod privetur Fidei merito, quo Vir illiteratus insignitur; tum quod de iis Veritatibus minus sit certus, quam vel Idiota quicumque; cum Fides, quam ille dicitur non habere, quæcumque demonstratione sit certior.

Sed & id quocumque ex Capite frivolum est. Ex primo quidem; quia cum Theologus ita sit animo comparatus, pieque affectus, ut Veritates illas Fide Divina crederet, si illarum demonstratione careret, nullo privatur Fidei merito, quod totum in ea animi præparatione, & affectione positum est. Ex altero vero Capite; quia licet in Theologo Habitus Fidei non extendatur per sese ad eas Veritates, quas per Scientiam novit; nec proinde certitudinem per sese in eas influat; indirecte tamen, & per accidentem ad eas extenditur; quatenus Veritates illæ, per Scientiam notæ, continentur in aliis principalibus, quæ non nisi Fide teneantur a Theologis: E. G. *Deus est* continetur

in ea *Deus est trinus*: quanta ergo certitudine tenet Theologus, Deum esse trinum, tanta quoque tenet, esse illum & unum.

Addiderim, Theologum Fidem de aliquo Divino Attributo non habentem, de quo scilicet Scientiam habet, habere tamen de illo omnem Fidei certitudinem; quia præterquamquod illi assentitur per demonstrationem, assentitur insuper propter testimonium Dei: isque secundus assensus non est assensus Fidei, quia non est cum obscuritate conjunctus, sed est actus veluti secundarius Scientiæ. Eo plane modo, quo cognitio per Medium probabile, dum est conjuncta cum actu demonstrativo, non est actus Opinionis; quia non est cum formidine partis oppositæ, sed actus est secundarius Scientiæ, ut ex Logics, si bene meminimus, didici aliquando.

Scio Nonnullos reponere, actum Scientiæ, quo Theologus novit, Deum esse, cum sit naturalis, nunquam posse, etiam secundario ad Veritatem aliquam ferri propter Testimonium Divinum, quod supernaturali Ordini subest; adeoque perpetuam asseri, Theologum ob Dei Testimonium assentiri etiam Veritati illi; qui tamen assensus actus sit secundarius Scientiæ ipsius.

Verum scrupulus evanescet omnis, si consideremus, actum naturalem, est solitarie acceptum, supernaturalis Ordinis Veritatem attingere omnino non posse, posse tamen, ut est conjunctus cum Fidei Habitu in Theologo. Planum id sit Exemplo Virtutum Moralium, quæ, si solitariæ, & secundum se considerentur, meritorios actus elicere nequeunt; quod tamen abunde præstant cum Habitu Charitatis conjunctæ.

Ex iis Principiis enervatur Argutia altera eorum, qui ita argumentantur: Dum Deus revelat Veritatem aliquam, ratione naturali aliunde notam, Theologus non dissentit hujusmodi Revelationi, quæ tamen simul cum Scientia manet. Enervata, inquam, est hæc Argutia. Non enim assensus ille, assensus est Fidei uti fingitur, sed actus est Scientiæ secundarius; ut observat Capreolus, assensus causatus ex Auctoritate Divina tunc tantum censetur assensus Fidei, dum Auctoritas Divina est tota causa, & præcisa ratio assentiendi.

Unum superest, quod ad adverte partis Defensoribus solet obijci: posse scilicet Fidem stare cum Lumine Gloriæ, atque adeo cum Scientia; quod Pauli ad tertium Cœlum rapti Exemplo suadere videntur.

Huic expediendæ Difficultati duplex suppetit via: Prima, si negetur, Paulo ad tertium Cœlum rapti fuisse Lumen Gloriæ communicatum; uti sane plerique Theologi negant; Altera, si dicamus, Paulum amisisse tunc Fidem, dum Deum videre cepit ad faciem; quemadmodum & Beati nec propterea infidelem evasisse, ut quidam obijciunt; quia Fidem non amisit discredendo, ut ita dicam, & dissentiendo, sed videndo; uti profecto nec Beati, infideles dicuntur. Nec obest si forte dixeris: si Paulus semel in raptu Divinam Essentiam vidit, atque ita cum illa Mytheria omnia; Fidemque momento illo amisit; nunquam ergo deinceps, etiam cessante raptu, Fidem Mytheriorum habuit: Sicuti Petrus E. G. visa semel Roma, transacto visionis actu, non ultra fidem illius habet, sed Scientiam semper tenet. Negatur etenim paritas; quia species Romæ representans manet semper Menti illius impressa, etiam cessante visione; non ita tamen species Divinam Essentiam Paulo representant illius Menti manente impressa Visione transacta: quia prior species est naturalis, ista gratuita.

Non omiserim insolutam Argutiam a Viro de Schola.

Schola subtili aliquando mihi in hunc modum objectam: Ecclesia simul a nobis creditur, & videtur: creditur, inquam, quia eam nos credere profiteremur in Symbolo: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam*: videtur etiam a nobis: quandoquidem profiteremur contra Lutheranos, & Calvinistas Ecclesiam esse visibilem: itaque de Ecclesia simul habetur Fides, & visio. Imo, quod urget multo magis, Fide credimus Ecclesiam nos videre: quandoquidem Fidei Caput est adversus Lutheranos, & Calvinistas definitum, Ecclesiam nobis esse visibilem: igitur multo magis sit Fides cum visione, si de ipsa visione Fides habetur, ipsaque visio Fide creditur.

Respondeo, eo in Casu Fidem, & visionem de uno eodemque objecto non esse, sed de diversis. Visio enim est de exteriori Gubernatione Ecclesiæ, de externa illius Hierarchia, de Sacramentorum Administratione, de externa Fidelium inter sese Communionem: Fides vero est de ipsius Ecclesiæ veritate, deque interiori inspiratione Spiritus Sancti, quæ facit, eam veram esse Ecclesiam. Uno verbo credimus, eam esse veram Ecclesiam, cujus externum apparatus videmus: Cum contra Lutherani, & Calvinistæ Ecclesiæ veritatem constituent in interiori vinculo charitatis, quæ Fideles inter sese uniuert, Christoque adhaerent: quod tamen interius vinculum non videtur.

Difficilius fortasse fuerit illud alterum definire; possit ne Fides stare cum evidentiā Divinæ Revelationis? Quod ut intelligat studiosa Juventus, illud observet oportet, in Fide nobis non modo obscurum esse quod creditur Mytherium, verum etiam obscuram nobis esse Divinam Revelationem, quæ nobis de Mytherio facta est: E. G. non modo nobis obscura est Divinarum Trinitas Personarum, verum etiam Divina Revelatio, quæ de Trinitate nobis est facta, perinde obscura est. Non quod Scripturæ verba, quibus nobis revelata est Trinitas, per se satis aperta non sint; sed quod nobis obscurum sit, an hæc ipsa Dei Optimi Maximi verba sint Sacris Scripioribus inspirata, atque dictata. Illud itaque quaeritur in præsentia: num si forte evidens nobis esset, Deum Mytherium hujusmodi revelasse, & quidem verbis proprio sensu intelligendis, adhuc tamen Fides de hoc ipso Mytherio stare posset?

Miram, quantum ea de re digladiantur inter se Thomistæ Nostrates. Ego negantibus assentior, certaque mihi mens est, Fidem cum Divinæ Revelationis evidentiā stare non posse. Eaque maxime ratione moveor, quod cui esset evidens Mytherii Revelatio, Mytherium ex consequenti fieret evidens: Sic enim argumentari ille posset: Evidens est, illud esse verum, quod Deus revelavit: quandoquidem Deum mentiri non posse, evidentiſſimum est: sed mihi evidens est Deum revelasse, se esse trinum: igitur evidens mihi est, Deum esse trinum: atque ita ea in hypothesi, de Trinitate; utpote jam evidenti, Fides ultra non esset, sed Scientia duntaxat. Et quidem qui novit evidenter Medium probationis, cognoscit evidenter Conclusionem inde necessariam deducam: porro Divina Revelatio, de aliquo Mytherio facta, probationis Medium est cum Mytherii veritate necessario conjunctum; cum Deus falsum revelare non possit: cognita itaque evidenter Revelatione de Mytherio aliquo facta, Mytherium quoque evidenter agnosceretur.

Neque vero Difficultatem elidunt, qui reponunt, debere Medium probationis esse intrinsecum, ac etiam proprium, ut ex eo evidenter cognitio Conclusio quoque evidenter cognita cen-

Serry Tom. IV.

seatur: Revelationem autem esse extrinsecam Mytherio revelato, ac veluti quid generale, atque commune.

Nugæ profecto nugæ. Ut enim Conclusio censetur evidenter in Medio cognita, satis est, si Medium, quo Conclusio probatur, *virtualiter*, ut Schola loquitur, *intrinsecum* illi sit; propter necessariam connexionem illius cum illa; et si *formaliter extrinsecum* illi sit. Uti profecto dum Deum existere per Creaturas probamus, ac demonstramus, Creaturæ ipsæ Deo non sunt *formaliter*, sed *virtualiter* tantum intrinsecæ; quod ista ab Illo necessario pendeant. Quamquam etiam Revelatio communis & generalis medium proprium non sit, utique tamen Revelatio peculiaris, singularis, & individua, quæ de hoc, vel illo Mytherio specialiter facta est. Quapropter cum jam in superioribus probaverimus, Fidem stare non posse cum evidentiā Mytherii, consequens est, ut dicamus, stare quoque non posse cum evidentiā Revelationis: quandoquidem & hæc ipsa Revelationis evidentiā secum affert Mytherii revelati evidentiā.

Id ad rem nostram modo pertinet, ut ad ea reponamus Exempla, quibus Fides cum Divinæ Revelationis evidentiā stetit videri potest. Primum est Deipara Virginis, cui evidens Mytheriorum plurimorum, maxime vero Dominicæ Incarnationis Revelatio facta est in ipsa Salutatione Angelica. Alterum est Apostolorum, quibus Christus absque figuris, & ambagibus secreta cœlestia quamplurima referavit. Postremum Prophetarum nonnullorum, quos Deus per sese, non per Angelos internuncios edocuit, inspiravit, afflavit; quin idcirco Fide de revelatis sibi Mytheriis eos caruisse, asseri possit.

Ad primum repono, Virginem Deiparam eorum Mytheriorum Fidem nequaquam habuisse, quorum evidenter habuit Revelationem, aut sensibile quoddam experimentum; ut E. G. se Christum Dominum fuisse enixam, Virginitatemque suam post partum ad obitum usque servasse. Neque vero ex hoc inferas, Fidei meritum in Deipara minus fuisse, quam in cæteris, qui ejusmodi Mytheria Fide Divina credunt, & profiterentur: non, inquam, hoc inferas: Fidei namque meritum non pendet a numero Mytheriorum, quæ Fide tenentur; alias Theologi, atque Philosophi Christiani, qui de pluribus, ad quæ Fide tantum Rusticus fertur, evidentiā habent, minori merito cumularentur; adeoque deterior esset illorum, quam Ignorantium conditio: quod quis asserat? Sed Fidei meritum augetur, vel minuitur ex majori vel minori credentis affectu, atque dispositione, nec non assensus firmitate, animique adhesionem illis, quæ proponuntur credenda: prout videlicet in uno Fidei Habitu intensior est, vel remissior, quam in alio. Contingere enim potest, ut Homo aliquis simplicissimus, qui de duobus duntaxat Mytheriis, quæ a quoquam credi necessario debent, notitiam haberet, plus meriti in iis credendis ob majorem assensus firmitatem, animique adhesionem sibi met comparet, quam Vir litteratus, ac de omnibus Fidei Articulis plene instructus, qui de iis minori forte Intellectus adhesionem, firmitate, atque constantia Fidem haberec. Quare cum B. Virgo in cæteris Fidei Mytheriis, quorum evidentiā carebat, omnium Hominum Fidem longe iis conditionibus superaret, consequens profecto est, omnium etiam meritum in credendo Eam longissime excessisse.

Ad alterum allatum Exemplum repono, Apostolos non propterea censendos esse Divinæ Revelationis evidentiā habuisse, quod Christum ea sibi Mytheria referantem pluries audierint: quæ

K k

Deum



Deum illum esse non noverant evidenter, sed Fide tantum tenebant. Si vero quorundam Myfteriorum sensibile documentum, aut etiam experimentum habuere, E. G. institutionis Eucharistiae, Mortis a Christo Domino toleratae, Resurrectionis ejusdem, atque in Coelum Ascensus, quorum omnium oculati testes extiterant, Fidem illorum non nisi in animi preparatione possederunt.

Idipsum ad tertium de Prophetis respondeo, quos Deus per sese, non per Angelos internuntios, afflavit; Si tamen nec per Figuras enigmaticas, nec per Symbola, vel alias obscuras instruendi rationes illos edocuit, sed facie, ut ita dicam, ad faciem; quemadmodum de Moyse scriptum legitur Exodi cap. 33.

Illud forte difficultus expediendum est, quod ex Doctore Angelico objici solet; quasi evidentiam Divinae Revelationis stare cum Fide posse Is docuisset 2. *quest. 5. art. 2. Si aliquis Propheeta, inquit, praenuntiaret in Sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet Signum, mortuum suscitando; ex hoc ipso convinceretur Intellectus videns, ut cognosceret manifeste, hoc dici a Deo, quia non mentitur: licet illud futurum, quod praedicitur, in re evidens non esset: unde per hoc ratio Fidei non tolleretur.* Quibus sane verbis significare videtur Angelicum, Fidem stare perinde posse cum evidentia Divinae Revelationis.

Hoc tamen Angelici Praeceptoris Testimonium perperam nobis opponitur; ubi Ille de evidentia ipsius Revelationis non agit, sed de illius certitudine, per Signum, seu Miraculum in ejus confirmationem paratarum. Hæc porro potius est evidentia credibilitatis, quam quidem omnes ultro citroque concedunt, conjungi posse cum Fide, quam evidentia Revelationis. Dum enim videt quis sensibilibus Miraculum aliquod in confirmationem Divinae Revelationis paratarum, cum Miraculum in falsitatis confirmationem fieri, impossibile sit, ipsam tunc Revelationem sensibilibus non sentit; adeoque nullo pacto habet illius evidentiam. Unde nil mirum, si stet adhuc Fides de Mysterio hac ratione enuntiato, & per Miraculum confirmato. At hoc non est id, quod quaeritur in praesentia. De evidentia etenim, non de certitudine Revelationis Controversia suboritur. Stat ergo inconcussum, quod demonstrandum proposuimus, videlicet obscuritatem ita Fidei essentiali esse, ut de eodem Objecto, etsi per diversa Media Fides & Evidentia stare omnino non possint, etiam si de evidentia Revelationis sermo fiat.

Expensis itaque, bonoque in lumine positis binis Divinae Fidei Characteribus, Certitudine, atque Obscuritate, reliquum est, ut de Illius necessitate sermonem instituiamus: quod Divino opitulante Auxilio in sequentibus pro viribus nostris præstabitur.

## PRÆLECTIO VII.

Fidem in re absolute ad Salutem necessariam esse, defenditur.

Naturam, ac Dignitatem Fidei nosse, ejusdem vero Necessitatem ignorare, novum insulsiatit genus arbitror. Ad id enim collinere debet Virtutum omnium notitia, ut quanta nobis Naturæ necessitas sit, potissimum dignoscamus. Cum itaque de Fidei Natura, dignitateque dixerimus hæctenus, ejusdem Obscuritatem, & Certitudinem quales, quantæque sint exponendo; ad

illius nunc Necessitatem explicandam studia nostra curasque convertimus.

Qua in re illud mihi statim accidit permolestum, quod Fidei Necessitatem adversus Theologos aliquos defendere cogar, quos Fidei Doctores, atque Magistros, non impugnatores, ac depressores audire maluissim. Inveniunt enim hæc ferme ætate nostra nonnulli, qui Fidei necessitatem ad Salutem totis viribus impugnant. Horum chorum dicit Andreas Vega, qui scribere non est veritus Lib. 6. in Tridentinum Concilium cap. 17. & 20. tantam non esse Fidei Necessitatem ad Salutem, quin possit aliquis absolute sine Fide salvari: satisque esse, si illam quis habeat duntaxat in voto, & desiderio; qualis fortassis esset ille, qui nutritus in Silvis nullum Prædicatorem Evangelicum audivisset. Hunc non longo secuti sunt intervallo Franciscus Suarez, Tamburinus, Meratius Platerius, Comptonus, Darellus; quorum alii unius Dei notitiam, solo Creaturarum testimonio habitam (quæ certe quam longissime distat a Fide) ad Justificationem; atque ita ad Salutem sufficere docuerunt: alii Fidem actualem Incarnationis, & Trinitatis ad salutem minime desiderari commentum sunt.

Horum primum (non esse scilicet Fidem ad Salutem absolute necessariam) Doctrinam monstrum non dubitavimus appellare, sacris in Litteris prædicanatum, a Conciliis, Patribusque proscriptum; adhuc etiam rectæ Rationi palam, aperteque repugnans. Apostolus enim ad Hebræos cap. 11. de hac ipsa Fide, quam substantiam rerum sperandarum definit, argumentum non apparentiam, subjungit e vestigio: *Sine Fide autem impossibile est placere Deo.* Quomodo ergo salvari poterit, qui Deo minime placuerit? Ad Galatas cap. 3. *Justus ex Fide vivit.* Nemo itaque sine Fide justus, multo minus sine Fide salvus esse potest. Joannis cap. 3. *Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Ad quid porro judicatur, nisi ad damnationem? Ad Ephef. 2. *Gratia enim estis salvati per Fidem.* Nemo itaque sine Fide salvus, uti nec sine Gratia. Marci cap. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Quibus Scripturarum Oraculis edocti Ecclesiae Patres Fidem miris elogiis celebrarunt, quibus ejus ad Salutem absoluta necessitas commendatur. Hanc D. Augustinus Edificii spiritualis fundamentum appellat *Sermone 27. Domus Dei*, inquit, *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Hanc D. Cyrillus Alexandrinus Lib. 4. in Joannem, *Januam, & viam vite nuncupat.* Hanc Clemens Alexandrinus Lib. 7. *Stromatum; primam ad Salutem inclinationem vocat.* Hanc D. Hieronymus in Cap. 3. *Epistola ad Galatas, principium, & originem fidei, & accessus ad Deum appellat. (a)*

Jam quid ad hæc Andreas Vega Scripturarum Oracula? Reponit Ille, ea quidem Fidei necessitatem in voto perbelle probare, non ita tamen in re ipsa. Quod Ille responsum confirmat paribus loquendis formulis de Baptismate, & Eucharistia Joannis cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* & cap. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quæ non nisi de Baptismate, & Eucharistia in voto susceptis intelliguntur.*

At fute Suffragium illud esse multa demonstrant. Imprimis enim ideo votum suscipiendum

rum hujusmodi Sacramentorum, absque actuali eorumdem susceptione sufficit ad Salutem, quia actualis susceptio pendet ab externo alterius Hominis ministerio, quod in promptu quandoque non est, nec est in potestate nostra, ut habeatur; & quia ad actualem illorum Sacramentorum susceptionem supponitur in Homine Fides, in qua fundetur hujusmodi votum, & desiderium: at Fidei actus, quem ad Salutem dicimus necessariam, interior est, a nullo externo Ministro pendens; nec Fidem supponit, in qua fundetur Fidei votum, & desiderium: non itaque illorum omnium par est ratio; ut quia sufficiunt ad Salutem Baptismus, & Eucharistia in voto, ita quoque Fides in voto sufficiat. Ad hæc etiam: Homo nutritus in silvis, qui nihil unquam de Fide audivit; quem tamen Andreas Vega per Fidem in voto salvari posse contendit, Fidei votum concipere omnino non potest; cum nullam Fidei notitiam habeat, nullam illius ad Salutem necessitatis cognitionem. Quis enim optat, quis desiderat, quod profusus ignorat? Ut sciam, repugnare omnino, haberi Fidem in voto, nisi habeatur in re: cum hoc ipsum votum concipi sine Fide non possit. Qui enim E. G. Fidem Mysterii Trinitatis habere desiderat, credit jam Trinitatem esse, quam credere debeat. Stat ergo facta testis Sententia nostra, qua Fidem ad Salutem omnino necessariam esse tuemur.

Alia quid proferam Theologiae Momenta, quibus eadem illa Andreae Vega absurda Sententia refellitur multo disertius, & rationibus, ut Scholasticus loquitur, a fortiori? Non potest quis sine Charitate salvari: *Qui non diligit, inquit dilectus Apostolus Epist. 1. cap. 3. manet in morte.* Est enim hoc primum, & maximum Mandatum, sine cuius observantia ad vitam ingredi nemo potest: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* *Matth. cap. 22.* Multo minus ergo sine Fide salvari quis poterit, cum Charitas Fidem supponat necessario.

Non potest quis sine Spe salvari: *Spe enim salvati sumus, inquit Apostolus ad Romanos cap. 8.* Multo minus itaque sine Fide, quæ Spe fundamentum est, juxta eundem Apostolum ad Hebræos cap. 11. *Est autem Fides sperandarum substantia rerum.*

Non potest quis sine Justitia salvari: *Domine, inquit Regius Vates Psalm. 14. quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Multo minus itaque sine Fide, sine qua vera justitia non est: *Et justitia, quæ per Fidem est, heres est institutus, inquit Apostolus, loquendo de fidei Noe, ad Hebræos cap. 11.*

Non potest quis sine Christi Domini a Patre missi cognitione vitam æternam consequi, atque ita salvari: *Hæc est autem Vita æterna, Ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem missi Jesum Christum, Joann. cap. 17.* Non potest itaque sine Fide salvari; qua sola Christus Dominus, Homini bus ab ipso revelatur; juxta quod *Matth. cap. 11.* dicitur: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare; nempe per Fidem.*

Salus Homini in Beatitudine supernaturali posita est: eam itaque obtinere non potest Homo, nisi per Media supernaturalia: quandoquidem debent Fini Media respondere. Porro Dei ut Auctoris Naturæ nuda cognitio sine Fide, Medium duntaxat naturale est: sine Fide igitur Salus obtineri non potest.

Quibus & alia multa ad juris abundantiam addi possent; quæ tamen, ut sunt ab aliis Theologis occupata, consultius omituntur.

Serry Tom. IV.

Præsidium frustra petit Andreas Vega ex Doctore Angelico, sæpius affirmante, Hominem nutritum in Silvis, aut inter barbaras Nationes educatum, qui nihil unquam de Fide audivisset, Salutem æternam consequi posse, modo ductum Rationis naturalis in prosecutione boni, & fugam mali sequeretur. Frustra, inquam, & inconsulto. Si enim, quibus adminiculis Effatum illud sum temperat Doctor Angelicus, observetur, perspicuum fiet, Eum Fidei necessitatem ad Salutem in eo etiam agnovisse, qui aut nutritus esset in silvis, aut inter barbaras Nationes educatus: ait enim *Quest. 14. de veritate art. 11. ad 1. Dicendum quod non sequitur inconveniens, posito, quod quilibet veneatur aliquid explicitè credere, si in silvis, vel inter bruta Animalia nutritur: hoc enim ad Divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad Salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis Rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut missi Petrus ad Cornelium, Actuum cap. 10. Per Fidem igitur miraculose sibi nuntiata Salutem æternam assequeretur ille, qui sic esset nutritus, & educatus.*

Præsidium nihilo validius accersit a Statu Legis Naturæ; in quo multi Salutem æternam leguntur affecturi, etsi nullum eo in Statu fuisse putetur supernaturale Præceptum fidei, seu aliter Virtutis Theologicae; ne perperam Status Legis Naturæ diceretur. Purum enim, putumque commentum illud est. Fuerunt quippe & illo in Statu inspirata secreto Bonorum omnium cordibus Fidei, & Spei; & Charitatis supernaturalia Præcepta; quæ secutis inde temporibus sunt publice denuntiata: uti docet Doctor Angelicus 3. *part. quest. 7. art. 2. ad 2.* Status igitur ille, Legis Naturæ Status vulgo dictus est, non quatenus Natura opponitur Gratia, sed ut opponitur Legi scriptæ. Id ni dicamus, purum putumque Pelagianismum, imo quid Pelagianismo deterrus eo in Statu admitteremus; in quo tot fuerit Justi, æternamque Salutem affecturi, si nulla supernaturali Gratia præventi, adjuti, dotati, informati fuissent.

Hinc solum habes decantatissimum Argumentum ex Apostoli Oraculo delibatum ad Rom. cap. 2. *Cum enim Genes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Leges sunt, faciunt: ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex: qui ostendunt opus Legis scripturæ in cordibus suis. Quo Legem universam impleri sine Gratia posse, imo & re ipsa fuisse a multis Gentilibus impletam Pelagian colligebant: quo & abutitur Andreas Vega, ut sine Fide salvatos esse bene multos ostendat. Brevis quippe Augustini Responso solvitur, *Lib. de Spiritu, & Littera cap. 27. Fiant quæ Leges sunt naturaliter: non quod per Naturam negata sit Gratia, sed potius per Gratiam reparata natura.* Et Lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Propter naturam, quia ut crederent, ipsa in eis est per Dei Gratiam correcta Natura.* Quidni, & illud addamus: non de omnibus Legis Præceptis Apostolum loqui, dum ea naturaliter a Gentibus dixit impleta; sed de aliquibus tantum, & quidem facillioribus; quorum certe observantia ad Salutem æternam obtinendam minime sufficit.*

Quæ cum ita sint omnia, si qui forte Ecclesie Patres Philosophos quosdam ethnicos Salutem consecutos dixere: quod scripsit, & præcipue de Socrate D. Justinus Martyr in *Oratione ad Anoninum Apologia 2. pro Christianis*, non aliter id fa-

K k 2 dum

(a) Vide Natal. Alex. tertie Venetæ Editionis anni 1725.



lum estimare par est, quam quod Deus eum tandem aliquando Fidei suae luce perfuderit, se-  
cretiori quadam inspiratione: dum scilicet ab A-  
pheniensibus morti traditus est, quod Deum unum  
esse, non plures, in Scholis publice docuisset:  
Quamquam eo in Capite aberasse Sanctum Justi-  
num Martyrem, nonnulli argumentum, eumque ob  
idipsum reprehendere non vereantur. Similiter,  
dum Philosophos, qui cum *recta Ratione* vixe-  
runt, *Christianos* idem Justinus appellat, Christiani  
nomen latius sumit, ut Virum honestum, ac  
bene moratum sonat: quo sensu Animam natura-  
liter *Christianum* appellat etiam Tertullianus.

Sed quid tandem de magno illo Sinensium Phi-  
losopho Confucio dicemus; quem Ethnicum li-  
cet, & a vera Christi Fide penitus alienum, pu-  
rioris tamen, sanctiorisque doctrinae Magistrum  
fuisse, scripsere nuper Instituti, nescio cuius,  
Professores, Ludovicus de Comitibus, Joannes  
Bonvet, Franciscus le Gobien: nec modo purio-  
ris doctrinae Magistrum, sed, & *Hominem a Deo  
affiatum, omni Virtutum genere ornatissimum; Pie-  
tate, Religione, Charitate ferventem, Deo charum,  
ac denique Sanctum commendatum, & quidem sine  
Fide?* Certe si sic est; ut scripsere boni Viri,  
nihil illis reliquum est, nisi ut Confucium, eth-  
nicum licet, & idololatram, cum aliis Sanctis  
in publicis Litanis in vota vocent, dicantque  
*Sancte Confucii ora pro nobis.* Nos vero, quia to-  
tum id, quod de Confucio scripsere boni illi Hi-  
storici, falsissimum esse, Pontificio Clementis XI.  
Oraculo declaratum certo scimus, haecque omnes  
in miserum Confucium congestas laudes damnatas  
fuisse ab Academia Parisiensi lato Decreto die 19.  
Octobris 1700. *tantum falsas, temerarias, haereticas,  
Christianae Fidei, & Religionis everficas, Virtu-  
tem Passivam Christi, & Crucis Ejus evacuantes;*  
idcirco illud verum de Confucio Philosopho eth-  
nicum infidelis pronuntiamus ex Evangelio, *Qui  
non credit, jam judicatus est; quia non credit in  
nomine unigeniti Filii Dei.* Joannis cap. 3. Nisi  
enim nos fallat Apostolus, vel ipse fallatur, ad  
Hebr. cap. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo,*  
quomodo de Confucio, quem certe Fide Divina  
ornatum esse illos non putaverim, citra bla-  
spemiam pronuntiare audent, charum eum Deo  
fuisse? Sed de his factis. Fidei Necessitatem, ut  
quis ad salutem perveniat, veluti in communi,  
ac generatim loquendo, hodierna luce propugna-  
vimus: superest modo, ut speciatim de eadem  
agamus, inquiramusque, quorum Mysteriorum Fides  
explicita necessaria sit ad salutem. Non enim  
omnia Omnibus credenda Mytheria proponuntur;  
nec aequa in Omnibus quoad ejus amplitudinem  
explicita Fides desideratur, amplior in Theologis:  
in illiteratis contractior sufficit. In sequenti ita-  
que, quorum Articulorum Fides sit Omnibus ne-  
cessaria, & quidem explicita, ut salutem conse-  
qui possint, expendemus.

#### PRÆLECTIO VIII.

*Fidem explicitam de binis Trinitatis, & Incarna-  
tionis Mytheriis non Omnibus ante Christi Adven-  
tum ad salutem fuisse necessariam; eo tamen se-  
quito, factaque sufficienti Evangelii promulgatio-  
ne, necessariam Singulis omnino esse, propugna-  
tur.*

Tametsi Fidem ad salutem omnino necessa-  
riam in anteaacta Praelectione probaverimus  
adversus quorundam Theologorum hallucinatio-  
nem; necdum tamen distincte perpendimus, qua-  
lis Fides illa esse debeat, ac de quibus Mytheriis

sit habenda. Duplicem enimvero Fidem distin-  
guunt Theologi, uti & duplicis generis Mytheria  
in Christiana Religione fecerunt: Fidem alteram  
implicitam dicunt; alteram explicitam: illam qui-  
dem, qua res confuse, ac velut involute credun-  
tur; istam, qua res distincte, & explicite tenen-  
tur, Mytheria vicissim alia fundamentalia vocen-  
tant Theologi, ut Trinitatem, & Incarnationem,  
quibus veluti fundamentis stat Christiana Religio;  
alia confectaria nuncupant; quae vel ex fundamen-  
talibus fluunt, vel reliqua Religionis Christianae  
Capita complectuntur. Ac de Fide quidem im-  
plicita Mytheriorum fundamentalium factis in su-  
perioribus Praelectionibus demonstravimus, esse il-  
lam ad salutem absolute, ac simpliciter necessa-  
riam. Quapropter de Fide horum Mytheriorum  
explicita, atque distincta tota modo vertitur Qua-  
estio; sit ne & ipsa ad salutem absolute, & sim-  
pliciter necessaria.

Quam quidem Questionem ut bono in lumine  
ponam, varia tempora distinguere necesse est. An-  
te Christi Adventum, ino & ante Evangelii suf-  
ficientem praedicationem, totoque tempore Legis  
Naturae, atque Moisaicae Fides explicita, atque  
distincta Mytheriorum Trinitatis, & Incarna-  
tionis ad salutem Omnibus necessaria non erat; fa-  
ctisque fuit aliquibus, si Fide crederent, Deum  
Homines aliquando a peccatis liberaturum pecu-  
liari quodam Providentiae suae modo. Ita conce-  
ptissimis verbis pronuntiat frequentissime Doctor  
Angelicus, probatque ratione diserta: quia sine  
Revelatione Divina expressa, atque distincta, Fi-  
des expressa, atque distincta esse non potest: at  
Multis ante Evangelii promulgationem facta non  
erat Mytheriorum illorum expressa, atque distincta  
Revelatio: Multis igitur impossibilis erat distin-  
cta, atque expressa Mytheriorum illorum Fides.  
Porro, si impossibilis, non igitur obligabat, cum  
ad impossibile nemo tenetur. Poterant igitur  
tunc alicui absque explicita illa Fide salvari.

Suffragantur & Patres: S. Joannes Chryso-  
stomus *Homilia 37. in Mattheum*; S. Clemens Ale-  
xandrinus *Lib. 5. & 6. Stromatum*; S. Irenaeus *Lib.  
2. contra Haereses*; S. Augustinus *Lib. 19. contra  
Faustianum*; Eusebius *Lib. 1. Praeparat. Evangel.* cap.  
3. communiter affirmantes, nonnullos ex Genti-  
bus, uti Jobum, Melchisedech, Reginam Sabam  
sine expressa, distinctaque in Christum Fide suis-  
se salvatos.

Neque his repugnare putandus est Augustinus  
*Lib. de peccato Originali cap. 24.* dum ait: *Sine fi-  
de ergo Incarnationis, & Mortis, & Resurrectionis  
Christi nec antiquus justus, ut justus essent, a pecca-  
tis potuisse mundari, & Dei Gratia justificari, ve-  
ritas Christiana non dubitat.* Fidem enim Incarna-  
tionis intelligit Sanctissimus Doctor, factae Re-  
velationi proportionatam, ac respondentem; adeo  
ut ii, quibus ex peculiari Dei Gratia expressa,  
distinctaque Revelatio Incarnationis facta erat  
(quales nonnulli erant Patriarchae, atque Prophe-  
tae) sine illius Mytherii Fide explicita, atque dis-  
tincta justii facti non sint, nec a peccato munda-  
ti: quibus vero Revelatio duntaxat implicita Re-  
demptoris facta fuerat, sola Redemptoris Fide im-  
plicita justii, salvique evaserunt.

Ceterum post Christi Adventum, factamque  
sufficientem Evangelii promulgationem, Fides  
Trinitatis, & Incarnationis explicita, atque dis-  
tincta ita est Unicusque necessaria, ut nemo sine  
ea justificari possit, atque salvari. Ita sacrae Lit-  
terae, ita Patres.

Sacrae, inquam, Litterae: Marci quippe *cap.  
ultimo* mittens Christus Dominus Apostolos suos  
in Mundum universum, sic illos est allocutus: *Prædicate Evangelium omni Creaturae. Qui credide-  
rit,*

*rit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non  
crediderit, condemnabitur.* Quibus verbis aperte si-  
gnificavit, demandans esse illos omnes, qui præ-  
dicato sibi Evangelio non crederent; Evange-  
lium autem Incarnationis, & Trinitatis Mytheria  
aperte distincteque nuntiat; distincte itaque expli-  
citeque credenda illa sunt ab iis omnibus, quibus  
praedicatum est Evangelium: quod quicumque non  
fecerint, damnabuntur.

Joannis etiam *Cap. 3.* Fideles univerfos allo-  
quens Christus Dominus, *Sicut Moyses, inquit,  
exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet  
Filium Hominis: ut omnis, qui credit in ipsum,  
non pereat; sed habeat vitam eternam. . . . qui cre-  
dit in eum, non judicatur: Qui autem non credit,  
jam judicatus est, quia non credit in nomine unige-  
niti Filii Dei.* Ur ergo Quis vitam eternam obti-  
neat, judicumque damnationis evadat, credere  
debet in Christum, ut exaltatum in Cruce, ut-  
que unigenitum Filium Dei; qualem profecto cre-  
dere nemo potest, nisi Incarnationis, & Trinita-  
tis Mytherium distincte, atque explicite credat.

Joannis demum *Cap. 17.* Patrem alloquens Chri-  
stus Dominus, *Hec est autem, inquit, Vita aeterna;  
ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem  
misi Jesum Christum.* Nemo itaque Vitam aeternam  
consequi potest, nisi & Patrem cognoverit,  
& Filium a Patre missum. Quibus duobus Capi-  
tulis stat Fides explicita Incarnationis, & Trini-  
tatis.

Patres vero multo disertius: in quibus princeps  
est D. Augustinus *Lib. de Correctione, & Gratia  
cap. 7.* Si enim, sicut Veritas loquitur, nemo libera-  
tur a damnatione, quae facta est per Adam, nisi per  
Fidem Jesu Christi; & tamen ab hac damnatione  
non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse  
Evangelium Christi. . . . Quicumque ergo ab illa ori-  
ginali damnatione illa Divina Gratiae largitate dis-  
creti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis  
audiendum Evangelium; & cum audiant, credunt.  
Et *Lib. de Praedestinatione Sanctorum cap. 7.* de Cor-  
nelio Centurione sic loquitur: *Sed si posset sine Fi-  
de Christi esse salvus, non ad eum edificandum mi-  
teretur architectus Apostolus Petrus.* Quod de Fi-  
de explicita dubio procul est dictum, quam Pe-  
tro praedicante concepit Centurio.

Divus Hieronymus in *Cap. 1. Epistole ad Ephe-  
sios:* *Non ante filii esse possimus, nisi Filii ejus Jesu  
Christi Fidem, & intelligentiam recipiamus.* Et in  
*Cap. 3. ejusdem Epist. Cujus fiducia, atque accessus  
principium, & origo Fides in Christo est.*

S. Irenaeus *Lib. 3. adversus Haereses cap. 21.* a  
regno Caelorum excludit, qui Christum non no-  
verint Redemptorem: *Ignorantes eum, qui ex Vir-  
gine est, Emmanuel, privantur munere ejus quod est  
Vita aeterna.*

Eusebius Caesariensis in Origenis Apologia, quam  
una cum Pamphilo adornavit, hanc ejus in ore  
Sententiam ponit, quam suo etiam calculo confir-  
mat: *Illud tamen scire oportet, quoniam Sancti  
Apostoli fidem Christi praedicantes de quibusdam qui-  
dam quacumque necessaria crediderunt, omnibus cre-  
dentibus & etiam his, qui pigriores erga inquisitionem  
Divinae Scientiae videbantur, manifestissime tradide-  
runt. . . . Species vero eorum, quae per praedicationem  
Apostolicam manifesto traduntur, istae sunt. Prima  
quod unus est Deus qui omnia creavit, atque com-  
posuit. . . . quod hic Deus in novissimis diebus si-  
cut per Prophetas suos ante promiserat, misit Domi-  
num Jesum Christum. . . . Tum deinde, quod Jesus  
Christus ipse qui venit ante omnem creaturam, natus  
ex Patre est. Qui cum in omnium conditione Patri  
nihil haberet, per ipsum namque omnia facta sunt, no-  
vissimis temporibus se ipsum examinans homo factus  
est, incarnatus est cum Deo esset, & Homo factus*

mansit quod Deus erat. Origene itaque Judice haec  
omnia ad Salutem oportet necessario ab Omnibus  
credi: quae certe nonnulli expressa, distinctaque In-  
carnationis, & Trinitatis Fide credi possunt.

Hinc quatuor illas recentium quorundam Theo-  
logorum Propositiones lato decreto damnavit In-  
nocentius XI. die 2. Martii anni 1679. *Nonnulli  
Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medi-  
i, non autem explicita Remuneratoris. . . . Fides late  
dicta ex testimonio creaturarum, similiter motivo ad  
justificationem sufficit. . . . Absolutionis capax est  
Homo, quantumvis laboret ignorantia Mytheriorum  
Fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem  
nesciat Mytherium Sanctissime Trinitatis, & Incarna-  
tionis Domini nostri Jesu Christi. . . . Sufficit,  
illa Mytheria semel credidisse. Quas etiam Clerus  
Gallicanus proseripit in generalibus Comitibus an-  
ni 1700. His porro Innocentius XI. & Cleri Gal-  
licani iudicis facem praetulit Sacra Synodus Tri-  
dentina *Sessione 6. de Justificatione cap. 6.* dum Fi-  
dei actum in Christum Dominum Redemptorem,  
dispositionem ad justificationem necessariam defini-  
vit. Non potest enim ad Salutem obtinendam  
necessarium non esse, quod est ad Justificationem  
necessarium: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam,  
dum excitati Divina Gratia, & adiuvi, Fidem ex  
auditu concipientes, libere moventur in Deum, cre-  
dentes vera esse, quae divinitus revelata, & promissu  
sunt.**

Ex quibus omnibus huc usque probatis minime  
colligas, arctatam nunc esse Salutis viam; quod  
nova nunc majoraque ad Salutem obtinendam Me-  
dia necessaria dicantur, quam essent ante Salva-  
toris Adventum, publicatamque Evangelium.  
Quandoquidem, uti nova nunc majoraque Media  
necessaria dicuntur, ita novus majorque Gratiae  
cumulus novi Testamenti Haereditas adpromissus  
est. Quo fit, ut Christi jugum, novis licet Man-  
datis impositis auctum, suavior leniusque nobis  
evaserit: quod enim Carni videtur grave, Spiritui  
suavissimum est, majori Divinae gratiae ope-  
rante Virtute.

Videndum nunc, quid iis reponamus laxioris  
morum Disciplinae Magistris, qui implicitam tan-  
tum Incarnationis, ac Trinitatis Fidem ad Salu-  
tem in praesenti necessariam arbitrantur, non item  
explicitam. Decretorium illis videtur esse Dic-  
tum Apostoli ad Hebraeos cap. 11. *Credere enim  
oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquiren-  
tibus se, Remunerator sit.* Quasi nihil aliud desi-  
deret Apostolus, ut quis Salutem aeternam obti-  
neat, quam quod Deum esse credat, & bona ope-  
ra nostra munerari.

Jactant & illi Cornelii Centurionis Exemplum;  
qui, iudicio Doctoris Angelici 2. 2. *quest. 10. art.  
4. ad 3.* Fidem implicitam tantum habens, religiosus  
ac timens Deum est appellatus; atque adeo justus  
est habitus, manifestata jam Mundo Evangelii  
veritate; dignusque fuit, ut ad eum Petrus mit-  
teretur, qui illum in Fide plenius instrueret, ut  
habetur *Actuum cap. 10.*

Perperam tamen, atque injuria utrumque ja-  
ctatur. Primum quidem; quia tamen exitentiae  
Dei, illiusque Providentiae Fidem necessariam di-  
cat Apostolus, ut quis accedat ad Deum, non  
tamen sufficientem pronuntiat. Nec enim ait: *ac-  
cedentem ad Deum sufficit credere, quia est; sed o-  
portet credere quia est, & inquirentibus se Remune-  
rator sit.* Praeterquamquod de quoniam ad Deum  
accessu loquitur Apostolus, minus liquet: de pri-  
mo ne, quo ad Deum accedit Homo, ut illum  
neut ab eo Fidei lumine juxta illud *Psalmi 33.  
accedite ad Deum, & illuminamini; & facies vestrae  
non confundantur; an autem de secundo, quo ad  
Deum accedimus, ut illum aeternam possideamus.*  
Alte-